



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD


This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>





This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.





600075615U







COMMENTATIO HISTORICA
DE
SUCCESSORIS DESIGNANDI CONSILIO
VIVO JOANNE CASIMIRO
POLONORUM REGE.

(Res gestae pertinentes ad explicandam historiam Poloniae
saeculi XVII.)

Scripsit

J. C. PLEBAŃSKI.

„Intolerandum generositati polonae foedera de nobis
„sine nobis principes iniisse. Adeone pupilli et rerum
„nostrarum improvidi videmur, ut tutores nobis mo-
„derandis sese ex conducto ingerant, regem pro arbi-
„trio rebus suis obnoxium libero populo obtrudant?
„Amori et favori in Poloniam non opportuno sponte
„renuntiamus, nec invisus beneficium conferri necesse
„habetur“.

A.(ndreas) O.(lszowski), Censura Candidatorum
sceptri Polonici. 1668.

BEROLINI

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

MDCCCLV.

246. h. 76.

REPORT ON THE PROGRESS OF THE WORK

1900

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

DEPARTMENT OF CHEMISTRY

BY

W. H. C. MILLER, Ph.D.

1900

CHICAGO, ILL.

The following is a list of the papers published by the author during the year 1900:

1. *On the Reaction of Nitric Acid with Hydrogen Sulfide*, *Journal of the American Chemical Society*, 22, 100 (1900).
2. *On the Reaction of Nitric Acid with Hydrogen Sulfide*, *Journal of the American Chemical Society*, 22, 100 (1900).
3. *On the Reaction of Nitric Acid with Hydrogen Sulfide*, *Journal of the American Chemical Society*, 22, 100 (1900).
4. *On the Reaction of Nitric Acid with Hydrogen Sulfide*, *Journal of the American Chemical Society*, 22, 100 (1900).
5. *On the Reaction of Nitric Acid with Hydrogen Sulfide*, *Journal of the American Chemical Society*, 22, 100 (1900).

1900

CHICAGO, ILL.

W. H. C. MILLER

TITO DZIAŁYŃSKI

PALATINIDI ILLUSTRÍSSIMO

DE REBUS POLONICIS LONGE MERITISSIMO

CURAM HANC

IN

POLONORUM HISTORIA

POSITAM PONENDAMQUE

D. D. D.

J. C. P.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS 350 - ELECTRICITY AND MAGNETISM

LECTURE 10

10

LECTURE 10: ELECTRICITY AND MAGNETISM

LECTURE 10: ELECTRICITY AND MAGNETISM

10

ARGUMENTUM.

Introductio.

De vi ac ratione, qua Galliae et Austriaci-Hispaniensis imperii aemulatio ad res Polonicas valuerit Pag. 1—34.

Commentatio.

§. I. Joannes Casimirus „ 35—52.

§. II. Maria Ludovica „ 53—68.

§. III. Succincta rerum narratio, quae Joanne Casimiro regnante cum aulae successoris regni designandi consilio conjunctae erant. Idem consilium quas habuerit origines, quomodo comitiis an. 1661 proditum fuerit iudicatum a populo „ 69—117.

§. IV. Aulica factio quid contra reluctantem populi oppositionem machinata sit „ 117—152.

Conclusio.

Quae insecuta sint aulae cladem. Politica quae sit hujus nostrae quaestionis vis „ 152—161.

Excursus.

De nunciorum Poloniae terrestrium „Libero Veto“ „ 165—246.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

PHYSICS DEPARTMENT

THE PHYSICS DEPARTMENT LIBRARY

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

IS

LOCATED IN THE

PHYSICS BUILDING

5301

ARGUMENTUM.

Introductio.	
De vi ac ratione, qua Galliae et Austriaci-Hispaniensis imperii aemulatio ad res Polonicas valuerit . . .	Pag. 1—34.
Commentatio.	
§. I. Joannes Casimirus	" 35—52.
§. II. Maria Ludovica	" 53—68.
§. III. Succincta rerum narratio, quae Joanne Casimiro regnante cum aulae successoris regni designandi consilio conjunctae erant. Idem consilium quas habuerit origines, quomodo comitis an. 1661 proditum fuerit iudicatum a populo	" 69—117.
§. IV. Antica factio quid contra reluctantem populi oppositionem machinata sit	" 117—152.
Conclusio.	

Quae insecta sint aulae cladem. *Politica quae sit hujus nostrae quaestionis vis* " 152—161.

Excursus.
De nunciis Polonae terrestribus. *Libero Veto* " 165—246.

Corrigas L. B.

- Pag. 3 vs. ult. legas XLIII. pro X. L. III.
" 19 not. 46. legas Sulikovius.
" 22 vs. 10 sup. legas promovendo.
" 25 vs. 2 inf. legas Starożytności.
" 45 vs. 8 inf. legas Casimiri.
" 65 not. 92 vs. 2 dele, post Lascaris.
" 66 vs. ult. legas matrimonii ratificationem.
" 105 vs. 10 inf. legas potuit.
" 136 vs. 8 inf. scribas esse" putavit.
" 144 vs. 7 inf. legas eos pro eum.
" 177 vs. 13 sup. dele, post antiquitatis.
" 213 vs. 3 inf. ponas) pro (.
" 222 vs. 6 sup. addas atrocitate post iura.

INTRODUCTIO.

De vi ac ratione, qua Galliae et Austriaci-Hispaniensis imperii aemulatio ad res Polonicas valuerit.

Quaerenti ex nobis, quid rerum scriptori sit difficillimum ac gravissimum, respondeamus oportet: investigationem et explanationem non solum quomodo inter se cohaereant singulae res gestae cum universa temporum indole, sed etiam quae sit conjunctio rerum a singulis nationibus gestarum cum universali sive omnium populorum historia. Attamen licet nemo sit, qui talem disquisitionem quam maxime necessariam esse ad intelligendas res a singulis populis gestas neget, attamen, inquam, nostri (Polonos dico) scriptores haud satis ad eam respexerunt. Solent enim ii quam diutissime commorari narrandis rebus domesticis Poloniae, quare fit, ut eos haud raro fugiat, quam vim res aliorum populorum ad nostras habeant. Accedit, quod iidem res scribere solent semper versantes in iis cogitationibus, quae sunt propriae atque insignes nationis Polonorum, nulla ratione universalium rerum habita; quam ob causam ex libris ab iis scriptis non satis apparet cujus sint momenti res Poloniae in universali historia;

nam singularis scriptorum ille rerum domesticarum amor adimit rebus Polonicis vim et gravitatem, quibus ad communes populorum progressus valent.

Per se ipsa quidem nascitur cujusvis populi historia, secundum proprias internasque causas, singuli tamen, ut ita dicam, splendidae hujus arboris rami maxime variis tempestatibus saepe ex remotissimis regionibus cum fremitu accedentibus concuti solent. Quam sententiam accuratius explicaturi facere non possumus, quin dicamus, quomodo flumen videamus in alto profundoque alveo secundum propriam naturam profluere, cursum vero ipsius paulatim accrescentem modo leni tractu labi, modo tempestate quadam concitatum magna se praecipitare rapiditate, modo in varias partes deflectere, cujus causas in profundis non semper agnosceres, eodem modo progressum rerum gestarum cujusvis nationis secundum propriam naturam suam omnino crescere, sed etiam ex alia auctoritate pendere: saepe enim potens vicinus, saepe cogitatio quaedam saeculo innata res unius populi moderatur.

Duo haec elementa nationis propriarum et universalium contentionum quocunque saeculo tanta sunt, ut me errare non putem, si dicam, iis sub variis formis ipsam rerum cujusvis populi naturam rationemque constitui. Nationum sejunctio sive illa ex discrimine originis, linguae, morum, sive ex vicissitudinibus rerum publicarum orta, nunquam adeo firma est, ut vires virtutesque earum in perpetuum limitibus semel circumscriptis contineat; omnes enim, singularia petentes, ad illum nexum communis sortis sine intermissione contendunt. Uude etiam fit, ut vir vel acerrimo ingenio praeditus rationem rerum cujuscunque nationis ex ipsa hujus nationis historia amplecti nequeat. Qua de causa cum tenuis illa et angusta consideratio rerum gestarum omni tempore tum certe iis fugienda est, ubi unus populus per quoddam temporis spatium praeter ceteris nationibus est potens, tantaque in omnes utilitur auctoritate, ut ejus res gestae formam ac

speciem universalis historiae induant; neglecta enim una vel altera ratione facile fieri potest, ut aut effugiat nos quanti momenti sit res in universali historia, aut quid proprium sit populi haud satis appareat; rerum scriptoris autem est, neutra omissa ratione, utrumque cogitatione amplecti. Neque nos id praetermittere licet, et rem, quae nos occupatura est, si contemplamur et tempestates, quibus Polonia propter propositum eligendi successoris, Joanne Casimiro rege adhuc vivo, concussa fuit, in animum nobis inducimus, in Polonorum ipsorum rebus, quod ad eas concitandas contribueret, non invenimus; sed omnino auctoritas, quo exteri illis in causis fruebantur, respicienda est. Imprimis conspicimus Galliam maxime agili ipsius et diplomatica arte et magna auctoritate in rebus Europae septimo decimo saeculo instructam: conspicimus inter alios Mazarinum, qui meritorum, quae duo cardinales de regia auctoritate atque potestate in Gallia compararant, et hostilitatum atque damnorum, quae Habsburgicae stirpi inflixerunt, oblivisci nos non sinit. Candidatus sceptri Polonici, Ludovicus Condaeus, Henricum IV., Franciscum I., alios nobis in mentem revocat, in quibus, nescio utrum heroica quaedam natura, an maxima consilia, quibus nomini Gallorum principatum in Europa parare voluerint, magis admiranda nobis sint; ac ne tum quidem indolem Gallici populi, quam in Corneliis, Raciniis, Molieris etc. admiramur, quorum ingenia in Polonorum quoque litteras penetrarunt, silentio praetermittere possumus; porro turbata procellis et tempestatibus pars septentrionalis Europae medio septimodecimo saeculo, quo ambitio, dolus, terris potiundi cupiditas et debilitas earum regionum populos excruciat, efficit, nullo ut modo ambitionis et terrarum expugnandarum cupiditatis Ludovici XIV. et miseri status Hispanici regni obliviscamur¹⁾; ipsa

¹⁾ M. Mignet in praefatione operis, quod inscribitur: „Collections des documents inédits etc. Negotiations relat. à la succession d'Espagne sous L. XIV. Paris 1835 T. I. pg. X. L. 111. sqq. cf. Pierre Edouard

denique pii Ex-Jesuitae Johannis Casimiri, regis Poloniae, aula elegantiam et dolos aulae Gallicae in mentem nobis vocat. Ita iis, quae diximus, satis nobis fontes ostendisse videmur, quibus res et agendi rationes et mores et aulae Gallicae auctoritas saeculo supra designato et sequenti manarint per totum Europae corpus, quod totum illi occupare voluisse videntur.

Sed neque intactum nec quietum potuit Gallia illum quem Europae principatum sibi compararat, obtinere, quo post longinqua eaque gravissima certamina potita erat. Si nostra refert controversias, quae certamen illud atrox permeant et impellunt, cognoscere, sane magna et maxima parte in contentionibus Germanicae et Gallicae gentis de summo in Christianos imperio quaerendae sunt, porro in atrocissima aemulatione imperatorum nunc cum Hispaniae regibus fraterno foedere junctorum et regum „Christianissimorum,“ — in Galliae denique et domus Austriaco-Hispaniensis aemulatione.

Etiamsi explanatis illius aemulationis rationibus, quae ad res Polonicas multum valuit, consilium regis eligendi, qui vivo adhuc Joanne Casimiro in regnum electitium tuto succederet, illustrari credideris, propositum tamen nostrum non patitur, ut copiose de ea re disputemus; gravissima modo momenta illius aemulationis, quantum res Polonicas spectant, respiciemus, ut cognoscamus quanti fuerit momenti ad politice conceptum consilium, adhuc vivo Joanne Casimiro, coronae Poloniae, quam Austria toties frustra appetebat, principi Gallico parandae.

Auctoritas, qua Germania in Polonia fruebatur, satis jam diu obtinuit, sed illo demum tempore quam maxime Poloniae periculosa fieri coepit, quo Gallia eam tollere studebat. Quo tempore id quidem ponendum est? — Jam anno 1519, quo Fran-

Lemontey, Essai sur l'établissement monarchique de Louis XIV. Paris 1818 pg. 317—454.

ciscus I. Valesius cum Carolo V. de imperatoria dignitate certavit et a Sigismundo I., rege Polonorum, auxilium petiit²⁾.

Auctoritas, qua Polonorum rex Sigismundus I., in eligendo imperatore a. 1519 uti poterat, nata est ex affinitate, qua juvenis adhuc rex Bohemiae et Hungariae, Ludovicus II., cum Jagellonum familia jungebatur. Moriens enim (a. 1516) major Sigismundi I. frater Vladislaus, rex Hungariae et Bohemiae, duos liberos, Annam et Ludovicum II. tum demum decem annos natum, reliquit. Cui puero fratrem suum, Sigismundum I. Polonorum regem et Maximilianum, imperatorem, tutores constituit, quorum auspiciis Bohemiae etiam et Hungariae res administrabantur. Maximilianus, quum extremis suis annis cogitare de successore coepisset, imperium Ludovico II. primum juveni tradere voluisse dicitur; verum tamen, quum permovere ad id electores nequiret, in gratiam Caroli nepotis, Hispaniae regis, agere incipit, et in conventu Augustano (1515) quum a Sigismundo I. tum ab aliis quatuor electoribus „inscriptionem et obligationem“ ad id pertinentem accepisse fertur³⁾. Appropinquante igitur electione suffragium pupilli Bohemiae electoris, Ludovici II. quanquam Sigismundo I. tutori ipsius, non commissum, ex eo tamen pendebat. Neque igitur parum intererat, ut uterque aemulus Sigismundum sibi conciliaret, qua de re legati quum Caroli tum Francisci I.

²⁾ Erat jam regnante Vladislao Jagellone quaedam regum et Poloniae et Galliae societas, sed ad res Polonicas minime valuit. Joh. Dlugosz, histor. polon. libri XII. Lips. 1711. Lib. XI. pg. 438. sub an. 1414. cf. Voyages et ambassades de messire Guillebert de Lannoy apud J. Lelewel, Rozbiory dzieł. Posn. 1844 pg. 392. n. 50. et 51. cf. ibid. pg. 404. n. 62.

³⁾ Acta Tomiciana. Epistolarum, legationum, responsorum, actionum et rerum gestarum Sermi Sigismundi I. regis Poloniae etc. T. V. fol. 59. Litter. Sigismundi I. ad Consiliarios Bohemiae cf. Instr. Legatis regis Pol. ad conventum electionis novi imperatoris dat. Ibid. fol. 69b. 70a. 72b. Cod. MS. bibl. Leopold. Ossolińskiana cf. Legat. Hung. ad Remp. Venet. an. 1519 (Notizbl. z. Arch. f. Kunde oester. Geschichtsquell. Wien 1852. Nr. 3. pg. 33 — 36.)

rogationibus ac promissis eum fatigabant. Quamquam verisimilius fuit, Sigismundum I. magis favere Carolo, Franciscus I. tamen, summo pontifice adjuvante⁴⁾, fore ut Sigismundi studia sibi conciliaret, speravit; quam ob rem initio anni 1519 legatos ad eum misit, qui rogarent, ut „ubi ad parem electorum dissensionem res deveniret, nomine nepotis sui suffragium dare pro illius M^{ti} Christianissima dignaretur, offerens vicissim pro eo officio M^{ti} Suae Sermiae conjunctionem affinitatis et foedera secum ineunda,“⁵⁾ advertensque animum ejus ad pericula, quae dignitate imperatoria ad Carolum delata, et Bohemis et Polonis imminerent⁶⁾. E responso, quod Francisci oratores,

⁴⁾ Ibid. fol. 49b. Leo X Sigismundo: „Cum autem nunc, re in propinquis comitiis magis agitata, intelligamus, unum ex iis, qui communi sermone feruntur, charissimum esse in Christo filium nostrum Franciscum, Francorum Regem Christianissimum, quem certe nos regem omni virtute praestantissimum, aptum et idoneum tanto honore esse judicamus, quum in eo Sedi huic Sctae et communi paci periculum nullum, totius vero Christianitatis saluti magna praesidia sint constituta. Atque is ad nos scripserit, gratum sibi fore significans, si nostrum de eo iudicium ad te scriberemus, fecimus libenter, ut quod salutare et commodum Christianae Reipublicae fore existimamus, si is ad Imperii gradum extollatur, in eo nos tibi fidem faciamus. Nam si imperii auctoritas praestantiam requirit imperantis, et si fides Dei nostri forti et invicto duce indiget hunc regem his rebus omnibus abundare etc. etc. Quare quod ad M^{ti}s tuae votum et suffragacionem pertinet erit dignum prudentia et religione tua, nobis vero gratissimum, si eo studia tua contuleris, ubi et Christianae Reipublicae et Sctae Apostolorum Sedi prodesse et consulere possis.“

⁵⁾ Sigismundus I. in litteris ad Consiliarios Regni Poloniae haec dicit: „proponentes (sc. oratores Francisci I.) condiciones non vulgares de matrimoniis filiarum nostrarum et aliis quibuscunque modis vellemus amicitiam et foedus perpetuum cum illius M^{te} firmare, ad quod totum plenam habent facultatem etc.“ Ibid. fol. 54b.

⁶⁾ Ibid. fol. 52 et 53. Acta, quae hic laudamus, jam Thad. Czaeki in dissertatione: „Obraz pancwania Zygmunta Augusta (apud Mich. Wiszniewski, Pomniki historyi i literatury polskiej. Krak.

quum Cracoviam venissent, a Sigismundo I. acceperunt, eum propensio- rem esse ad Carolum eligendum⁷⁾ plane intellexerunt, certamque declarationem, quam ipsis Sigismundus I., consiliariis Bohemiae et Hungariae non consultis, dare noluit acerrime expectabant vel potius exigebant⁸⁾. Quae tamen declaratio

Tom. III. pg. 6. n. 5) in publico proposuit; sed initium quod summam legationis Francisci continet, omisit ac tantummodo responsum, quod interim aula Polonica Galliae oratoribus dederat, attulit, erransque ultimam Poloniae regis declarationem in illo ad tempus proposito responso nobis commendavit. — Praeterea notandus nobis videtur locus legationis; ubi Franciscus dicit, „se tum vivente adhuc Caesarea Mte, tum maxime post obitum fuisse per majorem Electorum partem ad culmen Romani Imperii postulatum; quod illius Mtas ne precibus illorum deesse et frustra nomen Christianissimi habere videretur, detractare et recusare noluisse etc.“

⁷⁾ Legimus enim in illo responso; „Non ignorat etiam illius Mtas (sc. Franc.), quam operam et quod testimonium universo fere orbi Mtas sua (sc. Sig. I.) pro Serm. dno Rege Catholico, ad eandem sedem Imperii sufficiens praebuerit in conventu Augustensi nihil tum etiam de voluntate Christianissimi dno Regis in ea re compertum habens, et proinde aliter nunc sentire et velle, quemadmodum nota inconstantiae et oblivionis officii debiti esse videretur, quae ab unoquoque Principe longe aliena esse debet. Verum enim vero Mtas sua Serma. scius quo in discrimine res Christiana sit constituta, et quanta quamque praesenti ope indigeat neque videns qui alter ad laborem hunc subeundum magis idoneus . . . sit Christianissimo dno Regi Galliae, . . . libenter . . . viderit, ut item Christianissimus dno Rex Galliae ad eam ipsam Imperii sedem proveheretur; sed polliceri nunc illius Mti hanc operam, quam postulat, non est ullo modo Mti suae integrum et licitum, et videlicet inconsultis consiliariis Regni Hungariae et Bohemiae mutare priorem declarationem deberet, cum res eorum regis agatur, . . . tamen ubi eadem erit voluntas . . . Consiliariis Regni praesertim Bohemiae ac etiam electoribus Imperii, quam habet Mtas sua erga commune bonum et Christianiss. dno Regem Galliae, ut in illum votis suis consentirent, Mtas sua regia libenter . . . illi non deerit quin etiam uti ad ejus Mtem vota et sententiae aliquae inclinarent, vellet liberaliter id totum in illius Mtem Christianiss. transferre, etc.“ MS. c. fol. 53. apud Th. Czacki. I. c.

⁸⁾ cf. duas litteras Cricii ad Cancellarium regni Pol. Tom. III. MS. c. fol. 63a. et 64b.

talis esse non potuit, ut expectationibus Galliae oratorum satisfaceret; Sigismundus enim hanc sententiam secutus est: non magni sibi esse momenti, uter Caesar fieret, sed maxime sua interesse, ut Poloniae propter res Pruthenicis novus imperator faveret⁹⁾. Itaque a promisso, quod imperatori Maximiliano in Caroli gratiam fecerat, minime discrepans, oratoribus Francisci I. declaravit, si in electione suffragiorum numerus in utramque partem par esset, Bohemiae electoris suffragium libenter se in gratiam Francisci esse laturum, hac conditione, ut Franciscus, si intelligeret, ad finem perducere hanc rem in ipsius persona non posse, auctor fieret ut suffragia, quae haberet, vel in regis Polonorum vel Bohemiae et Hungariae favorem ferrentur. Quod vero ad affinitatem et foedera cum rege Galliae ineunda atlineat, alio se tempore per oratores communes agere et singula auspiciis felicibus constituere velle¹⁰⁾. Conditiones, ex

⁹⁾ Qua de re Sigismundus I. in litteris suis ad consiliarios Poloniae Bohemiaeque datis planissime judicat. Nam quum Poloniae consiliarios, quid Galliae oratores consequi vellent, certiores fecisset, jampridem se secundum postulationem olim Caesareae Mtis pro Srmo dno Rege Hisp. pronunciasse exposuit, addiditque: „ex alia vero parte nescientes, quorum haec alea cadet, et multum interest nostra favorabilem habere Caesarem, tum propter res Pruthenicis, tum alias nostras difficultates, sumus ancipites prorsus, qualiter nos in ea re gerere et quid respondere ipsius oratoribus (sc. Fr. I.) debeamus etc. (Acta Tomiciana MS. T. V. fol. 54b.) Bohemiae autem ordinibus dicit: „Perpendentes item alia ex parte ancipitem ejus electionis eventum et quod multum interesset utriusque nostrum propensum habere in nos illum, quisquis sit Caesar futurus“ — significat iis deinde quomodo agerent, „ut suffragium Mtis Vrae in auctoritate et robore suo conservaretur, et occasionem hanc devinciendi utriusque nostrum Caesarem, quisquis ille fuerit, non omittamus.“ (Ibid. fol. 55b. et fol. 56a.)

¹⁰⁾ Responsum ultimum a Sigismundo I., rege, Oratoribus Gallis d. S. Floriani 1519 datum. Acta Tomic. MS. c. fol. 64 et 65a. Peculiaris ejus responsi locus hujus est tenoris: „Quod alacri et libentissimo animo suffragium dare vult et est parata Christianissimo dno Regi Galliae in assequenda hac imperatoria dignitate, quando eo ventum fuerit, ut suffra-

quibus Sigismundi I. sententia in utrasque partes pendebat, omnino eadem erant: spectabant vero diligenter conditionem

gium Mti suae locum et facultatem esset habiturum, hoc est in pari Electorum dissensione, nam alias suffragium Srmi dni Regis Bohemiae parvi est momenti. — Pollicetur autem id Mtas sua Srma ea lege, ut si Christianissimus dnus Rex Galliae intelligeret, perduci hanc rem in persona sua non posse, faveret pariter sua suffragia, quae haberet, vel huic Mti vel Srmo dno Regi Ludovico et ipsius opera sua, quo id alteruter eorum consequi valeat, non deesset etc.“ — Consulto pluribus in verbis, quam exspectari potuerit, ea in re commoramur, quia magni est momenti ad cognoscendam Poloniae, quae tunc erat, condicionem, et adhuc ignota erat. Nam praeter levem significationem Th. Czackii (l. c.) mancaque indicia, quae apud Joach. Lelewelum (*Histoire de Pologne*. Paris et Lille. 1844. T. I. p. 109. nota 42) in verbis Solignaci (*Histoire générale de Pol.* T. III. p. 245), laudantis Danielum (*Histoire de France* T. V. p. 57) in universum invenimus, ex quibus consilia nec Francisci nec Sigismundi cognoscere possumus, ea res ignota erat. Robertson, ad quem item Lelewelus nos relegat, multa quidem tradit de certamine inter Franciscum et Carolum in electione facto (*The history of the Charles V.* T. II. p. 71—85), sed nescit quid inter Franciscum I. et Sigismundum interesset. Vapovius narrat quidem in fragmento, quod superest de ejus Polonorum historia (in edit. Colon. Martini Cromeri an. 1589 p. 472) Sigismundum, ut tutorem Ludovici Francofurtum legatos misisse ad imperatoris electionem, sed ex nota ejus: „Franciscus Galliarum rex, imperii titulum summe ambiebat: missisque ad singulos Electores nunciis magnis pollicitationibus eos corrumpere tentavit: et erant nonnulli qui ei astipularentur“ intelligi non potest, num illud etiam ad Sigismundum pertineat. — Diligentius nuper Mignet („Une élection à l'empire en 1519. Première rivalité de Fr. I. et Charles V. in *Révue des deux mondes*, livr. du 15. Janv. 1854 pg. 209—264) eas res explanavit graveque instructionis legatorum Francisci momentum retulit (p. 231), sed ignarus responsi, quod Poloniae rex legatis Francisci dederat, Sigismundo injuriam attulit, concludens ex litteris cujusdam Bonnivet: „Langhac et Antoine Lamet, qu'il (sc. Franc. I.) avait fait partir pour la Pologne sous un dégoisement, avaient obtenu de bonnes paroles du roi Sigismond, qui n'avait pas été insensible à l'argent de France“ (pg. 256). Nos usi sumus ad explicandas eas res Actis Cancellariatus Polonici, quae sub titulo: „Acta Tomiciana“ Comes Titus Działyński, V. III. edere inchoavit. Res,

Polonorum Reipublicae, cui familiares quoque privatiue regis conatus dediti erant. Maximi labores et angustiae, qui Poloniae tum perferendi erant, a Turcis, Moschis et Ordine Teutonico in Borussia imminebant; adversus omnes eos hostes Sigismundus I. auxilium ab imperatore creando expectabat. Praeterea quum res Annae, primogenitae Ludovici II., regis sororis, tum Hedwigae filiae ipsius salus, quarum illam Carolus, hanc Ferdinandus, Caroli frater, in matrimonium ducere sese obligaret, cordis ei essent; postremo a Carolo postulavit, ut hereditatem Barensis uxoris suae, Bonae Sforziae, incolumem sibi adjudicaret, pariterque a Francisco, ut imperio potitus Ludovicum regem Romanorum eligendum curaret ¹¹⁾.

Explicari non potest, quantopere illa Polonorum regis vota ab imperii competitoribus observata sint; id vero constat, Sigismundum I. etsi ejus de Caroli V. eligendo merita non parvi essent momenti, postea ad Franciscum I., ut illius usus subsidio aulam Imperatoris Turcici benevolam sibi redderet, sese convertisse ¹²⁾; Basilium quidem, magnum Moscoviae ducem, a Ca-

quibus hic occupamur, inveniuntur T. V. (fol. 42—80), cujus codice, ad bibliothecam Leopold., quae Ossolińska appellatur, pertinente uti mihi summa cum liberalitate permissum erat a Com. Ill. T. Działyński in bibliotheca ejus instructissima Kornicensi.

¹¹⁾ Instructio legati regis Poloniae ad conventum electionis novi imperatoris data. l. c. fol. 71. 72. 73. 74a.

¹²⁾ Acta Tomiciana MS. bibl. Com. T. Działyński Tom. XII. fol. 168. 206. sqq. 209. „quoniam vero perfertur ad nos,“ legimus in legatione Jakubowsco ad regem Galliae data, „Mti Vrae summam esse apud Caesarem illum (sc. Turc.) auctoritatem, quum nemo sit alius in orbe universo, quem ille pluris faciat, pro paterna nostra erga Srmam filiam nostram affectione facere non potuimus, quin a Mte Vra peteremus, ut tum litteris suis Caesari Turcarum Srmam filiam Ntr. commendet, tum legato suo, quem illic habet, mandet, quoties aut nos aut serenissima filia nostra nuntios nostros ad Turcarum Caesarem miserimus, quibus de rebus missi fuerint, in iis auctoritate Mtis Vrae praesto illi adsit ac petitiones nostras adjuvet, multum eo nomine Mti Vrae nos debituros profiteamur.“

rolo esse excitatum ad pacem cum Polonorum rege faciendam eaque de causa legationem a Carolo ad eum missam¹³⁾, quae tamen nihil effecisset, minimeque prohibuisset, quominus Austria postea cum Moscoviae duce, praecipue inter bellum Livonicum contra Poloniam conspiraret¹⁴⁾; magnum ordinis Teutonici magistrum, bello contra Poloniam anno 1520 suscepto a principibus Germanicis esse adjutum, neque a Carolo prohibitum, quin Poloniam depopularet, donec copiae Polonorum eum repulissent¹⁵⁾; hereditatem Barensem, quamvis post varias tergiversationes¹⁶⁾ Bonae Sforziae Jagellonumque heredibus adjudicatam¹⁷⁾ et Annam non Carolo sed Ferdinando I. fratri ejus in matrimonium datam esse.

Videmus igitur, Sigismundum plane perspexisse locum suum et ante omnia rebus publicis Poloniae consuluisse, nec ullius competitorum studiosum exstitisse. Missis Francofurtum ad novi imperatoris electionem legatis Matthiae Drzewicio et Raphaeli Leszczynio commendavit, studerent, ut fides data Maximiliano in Caroli commodum servaretur, sed ita studerent, ut Francisci electionem directe non impedirent¹⁸⁾. Neque eventus electionis expectationes, ut constat, aulae Polonicae irritas reddidit, et Carolus gratissimum Sigismundo animum probare voluisse videtur¹⁹⁾; altera vero ex parte Galli querebantur, „regem suum

¹³⁾ Acta Tomiciana. MS. bibl. Oss. T. V. f. 92b. 93.

¹⁴⁾ Dogiel, Cod. diplom. Regni Polon. T. V. p. 238—243.

¹⁵⁾ Acta Tomiciana. MS. bibl. Oss. T. V. fol. 307 sqq. 359 sqq.

¹⁶⁾ Act. Tomic. T. V. fol. 310a.

¹⁷⁾ Joach. Lelewel, Królowa Bona etc.

¹⁸⁾ Act. Tomic. T. V. fol. 78a.: „ut hoc scopum prae oculis habeant, quod volumus et cupimus Srmo Dno. regi Carolo opitulari, sed nullo etiam modo Srmo Dnum Regem Galliae offendere vellemus . . . itaque volumus, ut cum States Vrae viderent rem et suffragia principum electorum in illum (sc. Franc.) vergere debere, ipsi etiam ad eum suffragio suo accedant, neque contra ventos navigent etc.“

¹⁹⁾ Act. Tomic. MS. T. V. fol. 90. Carolus ad Sigismund.

non esse hic (sc. in Polonia) in pretio ²⁰⁾.“ Summi Poloniae magistratus coeptum cum aula Gallica commercium non interrupperunt; immo ei significare studuerunt, „quamquam in praesenti dignitatem imperatoriam Francisco parare non potuissent, fieri posse aliquando, quod regis Poloniae amicitia M^{ti} Christianissimae ex usu fieret non vulgari ²¹⁾.“

Generalis rerum totius Europae status, et singulares necessitudines, quae inter Polonos et Germanos jam longo ex tempore intercedebant exigebant ut Jagellones cum imperatoribus Germaniae in amicitia permanere studerent, praecipue propter Germanicum, quod in Borussia multisque majoris et minoris Poloniae oppidis valebat, momentum, neque minus propter affinitatis vinculum, quo Jagellones cum Hungariae Bohemiaeque regibus jungebantur, et, ut paucis complectar, propter Slavicum, quod in rebus Germaniae (Austriae) vigebat, momentum ²²⁾. Quibus de causis facile fieri poterat, ut commercium Habsburgicorum principum cum Poloniae proceribus magis magisque accresceret. Quam magna vero pericula rebus Polonicis inde im-

²⁰⁾ Ibid. fol. 63a.

²¹⁾ Ibid. fol. 80a. Litterae Petri Tomicii ad Langiacum: „Scripsi jam pridem litteras Tuae dni de his, quae acta sunt in conventu electionis imperii Cum autem mihi nihil Tua dtio respondit, conjicio illam a me alienato esse animo, et forte illis magis credere, qui ad velandam perfidiam suam in nos culpam conjiciunt, cum magna injuria Srmi Dni mei et nostra, nam ejus M^{tas} sincero animo praestitit omnia, quae fuit pollicita, sed nec orator Vter, nec summi Pontificis admissus erat, cum quibus communicare rem nostri potuissent, ita caventibus de industria electoribus, ex quibus nullus vel minimo judicio se pro Srmo rége Vtro ostendit. . . . Itaque dominatio Vtra agat et curet, benevolentiam utriusque M^{tis} inter se procurare; fieri enim poterit aliquando, quod isti M^{ti} Christianissimae M^{tis} hujus domini mei amicitia ex usu fiat non vulgari.“

²²⁾ Praeter ea quae jam attulimus, cfr. Valerian. Krasiński, Historical sketch of the rise, progress, and decline of the Reformation in Poland etc. T. I. c. I. s. fin.

minerent, statim post Sigismundi I. mortem, cujus magnus fortisque animus omnes hostiles conatus undecunque coortos reprimeret et profligaret, apparuit; quum etiamsi Sigismundus Augustus vivo jam patre rex creatus est, „in Polonia majori et in Germania ubique acclamaretur: Maximilianus! Maximilianus! h. e. studia hominum propensa essent, ut Maximilianum, regis Ferdinandi filium, regem Poloniae haberent ²³⁾.“

Quantopere Austria intestinarum perturbationum, Sigismundo Augusto regnante, maxime per reginam viduam Bonam auctarum, particeps esset, non potest rerum fide demonstrari; id vero constat factionem regi infestam Austria fuisse nisam ²⁴⁾, quae Polonorum regno ad principem Austriacum delato, neque minus Bohemiam et Hungariam sibi tributariam reddere paravit ²⁵⁾; sed a perficiendis quae ceperat consiliis tum populari nobilitatis ingenio, tum Gallia ipsius infensissimo hoste, prohibita est.

Quae tria elementa — (dico Austriacum, quod dynastiae rationem spectabat, Gallicum, quod politiam sectabatur, Polonicum, quod nihil nisi populi commodum respiciebat) — in politica, quae insequabatur, Polonicae gentis vita haud minimi sunt momenti. Quorum unum quemadmodum alteri diversis temporibus praevaluerit, donec omnis denique Russico cederent, haud injucundum forsitan sit quaerere, sed quum id ab eo, quem nobis proposuimus finem, longius sit remotum, nunc omittamus. Rei admodum certe memorabilis, sed hucusque non ea, qua est dignissima, cura pertractatae caussam positam esse statuerim in illo,

²³⁾ Act. Tomiciana MS. bibl. Com. T. Działyński T. XII. fol. 426. Litterae Andr. Noskowski ad episcop. Plocens.: „Nihil laeti, nihil boni hic habemus nam alter rex pater mortuus est nobis, alter vero filius nos seque una ad ruinam parat populus jam hunc alterum regem filium odit in Polonia majori et in Germania ubique acclamatur: Max. etc.“ ut in textu.

²⁴⁾ Baliński, Pamiętniki o królowej Barbarze.

²⁵⁾ Th. Czacki, Obraz panowania Zygm. Aug. I. c. p. 37.

quem Polonia oblinebat inter Occidentem et Orientem loco, quemque ut retineret nullis pepercit laboribus. Gallia enim ut consiliatrix gentium et Romanarum et Germanicarum culturae haberi potest, ita Poloniae idem officium injunctum esse videbatur Occidentis cum Oriente conciliandi. Per longe majorem mediae aevi partem longe major studiorum consensus inter Occidentem et Polonicam gentem esse videbatur, quum contra ingravescentem Germanicam indolem luctaretur. Ibi cum bella longiora per tempus gesta *αὐτονομία* esset insecuta et, Polonia cum Lithuania conjuncta, respublica potentissima haberet, quod in Orientem traheretur, quumque latissimus ibi Poloniae campus pateret iam in atrocissimo Galliae et Hispaniae - Austriae certamine, quod ad universam Europam pertineret, utrique erat id gravissimum ut Poloniae fines, intra quos nulla amplius dynastia ortura erat, sibi adjungerent. Austria sperabat, dynastia aucta et finibus, quibus forsitan sibi potitura esset, majora se incrementa capturam esse, Gallia credidit, Gallico principe ad Poloniae regnum vocato, habituram se esse, quo semper Austriam reprimeret ²⁶⁾.

Adde huc, quod Lithuania, licet semper Poloniae dedita, interdum cum Russia faciebat; quod Russici principes, sic ubi Polonorum Rex esset mortuus, semper fere regiam quaerebant dignitatem, neque propter ullam aliam rem nisi summam superbiam ²⁷⁾ et miram quandam pertinaciam, abhorrentem illam a Polonorum ingeniis et maxime conspicuam in animorum cultu illaque fide, quam diversam, licet ipsi sibi conscii essent, eadem

²⁶⁾ Val. Krasinski, Historical sketch of the rise etc. of the Reformation in Poland T. I. in elect. Henrici. Ne Bizardièrè quidem (Histoire des diètes de Pologne pour les élections des rois. Paris 1697), quamquam haud uno nomine opus ejus est reprehendendum, id monere neglexit (pg. 25.)

²⁷⁾ Ant. Mariae Gratiani, de Vita Joannis Francisci Comendonii Cardinalis. Paris 1669. pg. 344. 345.

de stirpe Polonos et Ruthenos ²⁸⁾ ortos esse, sectabantur, propter nullam aliam rem, inquam, Polonicae gentis favorem sibi conciliare non poterant, immo perpetuam cum ipsa exercebant inimicitiam ²⁹⁾. Jam omnibus his rebus perpensis confitendum nobis erit, popularibus partibus haud ita facile id contigisse, ut inter has contentiones integrae, illibatae, suam ipsarum auctoritatem conservantes permanerent. Saepe Polonorum gens vel hoc nomine insignem quendam exseruit vigorem — nonnumquam ubi plurimis est circumventa malis, provenientes illis ex peregrinorum impetibus et diversis, quae inde sequebantur, partium studiis, vires vel ultra mare, ubi Jagellonicorum temporum memoria per Wasas erat conservata, repetere videbatur, certe — id quod mireris — nimis diu singulari erat praedita familiarum fastu, ita ut nullum ipsi sibi eligerent regem.

Quae hucusque delineavi, dignissima quidem sunt quae accuratius examinentur, sed nobis non proposuimus, quippe quae justo generaliora evasura essent; neque igitur has, quas modo significavi, res cum pulvisculo, ut dicunt, excutiam, sed ubi ad rem facere videbuntur, in medium modo afferam.

Sigismundo II. Augusto mortuo respublica ab illo unione Lublinensi (1569) constituta, primum se orbatam vidit regio herede, et primum ibi liberum electionis jus exercebat, quum fere duo per saecula solemnna, quibus Jagellonicorum principum electio semper rata est habita, liberam habere electionem consuesset ³⁰⁾.

²⁸⁾ Orzelski apud J. U. Niemcewicz (Zbiór pamiętników o dawnéj Polsce. 1822. T. II. pg. 70. 71.

²⁹⁾ Philippi Pernisten, imperialis legati Majestatis Caesareae Relatio de Magno Moscorum Principe, a. 1579. Apud Phil. Honorium Praxis prudentiae politicae h. e. selectiores tractatus etc. Frcf. 1610. pg. 348.

³⁰⁾ Gratiani, de vita Commendonii Cardinalis pg. 317. cp. II. Heidensteinii, Rerum Polonicarum ab excessu Sigismundi Augusti libri XII. Frcf. 1672 pg. 2.

Qua occasione quae supra memoravi momenta suam exserere vim studebant, quin etiam ecclesiasticis, quae illis temporibus multo magis increscebant, studiis vehementiora sunt reddita, alterumque alteri oblucebantur. Propter ecclesiasticas rationes et illas, quae antea intercesserant inter Poloniam et Austriacam dynastiam, major ante alios omnes, qui hanc ambibant regiam dignitatem Habsburgicis effulgere videbatur spes³¹⁾. Johannis III. enim, Sueciae Regis, aut Sigismundi, ejus filii, partes, ad quas inprimis Calvinistae pertinebant, haud ita magnae videbantur. Praeterea Poloni novum regem volebant in matrimonium ducere Regis Jagellonici ultimi sororem superstitem, id quod propter affinitatem, quae inter Jagellonicos et Wasas intercedebat, fieri non poterat, praeterea non magna erat Suecis cum Polonis societas illaque, qua utebantur Wasae, auctoritas non admodum vetusta³²⁾. Superbia, quacum magnus Moscoviae dux regnum affectabat, tali ejus sectatores ignominia affecerat, nihil ut pro illa facere auderent³³⁾. Indigenam, quem vocamus „Piastrum“, ad regnum evehendum esse, si non omnibus, permultis³⁴⁾ tamen persuasum erat; offendebat autem quod Joann. Zamoscus eos qui creari vellent, neque minus peregrinos candidatos, eligendi loco discedere³⁵⁾ jusserat. Itaque restabant tantum partes, cum Gallicis facientes illae, quae cum Habsburgicis de regno contendere et poterant et volebant³⁶⁾. Rationes, quae inter Gallos et Polonos intercedebant, nimis raras fuisse hucusque jam intelleximus, quam ex quibus eadem, quae ex Austriacis, oriretur molestia, multoque facilius gratiam inibant Galli apud Polonos, quam quod unquam

³¹⁾ Gratiani, De vita Commendonii pg. 325 cp. III.

³²⁾ Andreas Max. Fredro, Gestorum sub Henrico Valesio. Dant. 1652. pg. 42. sqq. Gratiani l. c. pg. 345.

³³⁾ Fredro l. c. pg. 44. sqq. Gratiani l. c. pg. 345.

³⁴⁾ Gratiani l. c. pg. 351., 352., 353., 354., 375. sqq. Fredro, l. c.

³⁵⁾ Fredro l. c.

³⁶⁾ Fredro l. c. Gratiani l. c. p. 347 sqq.

Germanis contingere posset³⁷⁾. Porro haud levi persequebantur invidia Poloni principes Habsburgicos, quia his Poloniae nobilium gentium democratia, quae abhorreret a principum, comitum all. titulis, turbari videbatur, et Bohemiae Hungariaeque fati perterriti³⁸⁾ — quamvis Imperatoris legatus Austriae principem ordinibus oratione commendaret, Bohemice habita³⁹⁾, — eo majore suspicione in illa, quae Habsburgici principes promitterent, sibi utendum esse putabant. — Quibus omnibus caussis, Montluc, Galliae legatus, qui praecipuus Henrici, ducis Andegavensis, electionis suasor extiterat, haud minime adjutus est, modo illi ne obstitisset nuptiarum Parisiensium memoria⁴⁰⁾. Singularem igitur libello liberare studebat Montluc illum principem maculis inde conspersum, quo electo multo plura in Polonicam rem publicam redundatura esse videbantur commoda⁴¹⁾, quae Ernestum Habsburgicum haud secutura credebantur. Jam ex ordine, quo principum peregrinorum legatos audire ordines congregati constituerunt, major perspicui potuit auctoritas, qua Valesii principes ante Habsburgicos pollebant, ita ut iam nunc primum fieret, ut Galliae legatus ante Hispanicum admitteretur, quam ob rem hic talem concepit iram, re ut infecta campo regis eligendi excederet.⁴²⁾

³⁷⁾ Gratiani (l. c. p. 332): „sed cuncta praevertenda celeritate esse si enim“ (talem praebet informationem Maximiliano) „multitudini spatium trahendi sub arbitrium suum rempublicam daretur, difficiliora omnia fore, a Germanorum enim nomine Austriaeque vulgo mirum in modum abhorreret.“ cf. Bizardiè l. c. p. 31.

³⁸⁾ Gratiani l. c. p. 343. Fredro l. c. Discorso sopra l'ellectione da farsi del nuovo Re di Polonia 1587. Apud Phil. Honorium l. c. pg. 547.

³⁹⁾ Fredro l. c.

⁴⁰⁾ Gratiani pg. 350 cf. 357.

⁴¹⁾ Fredro l. c.

⁴²⁾ Gratiani l. c. p. 370.

Qua ratione quum Habsburgicorum principum omnis sublata esset auctoritas in Polonia, Henrico, principi Andegavensi, contigit ut 5 menses et 25 dies in regiam eveheretur dignitatem.

Eodem Henrico haud gloriose ex Polonia profecto, quum proxima regis eligend occasione Gallici, si non prorsus extincti — existebant enim, qui quemquam alterum ad regnum vocandum esse negarent, nisi ante Henricus rite regno se abdicasset — certe repressi essent⁴³⁾, duae quae erant relictæ factiones, et illae quae Polonicis et illae quae Habsburgicis deditae erant commodis, eo atrocius inter se disceptabant. Prae illa enim parte, quae aut Imperat. Maximilianum I. aut Ernestum, ejus filium, aut Ferdinandum, Imperatoris fratrem, creatura erat, et praee illa, quae Piastum regem renunciare volebat, cuique idem Zamoscus propositus erat, qui in novissima electione ante omnes alios Piasti eligendo restiterat⁴⁴⁾ — praee utraque, inquam, hac parte nec Sueciae Regis asseclae, nec Moscoviae magni ducis, nec Transsylvaniae principis sectatores quidquam nunc valere poterant, ita ut diu animi haereres, quae esset reportatura victoria. Habsburgici enim principes, quamvis magna his temporibus in Polonia flagrarent invidia, nihilominus a plerisque Senatoribus et clericis adjuti, ad finem pervenissent, nisi nimium, quod illorum praee se ferebant asseclae, studium eorum caussae nocuisset. Quum enim Zamoscianos in suas partes a se tractum iri desperassent, ex campo eligendi secesserunt, quo facto Uchański, regni primas, haud satis circumspecte Imp. Maximilianum II. Poloniae regem proclamavit, eaque de re populum a regni marescallo certiolem fieri jussit. Arrogantis hujus eligendi modi vel Habsburgicos taedebat et Zamosciani inde gravissimum libertati imminere peri-

⁴³⁾ Reinholdi Heidensteini Rerum Polonicarum ab excessu Sigismundi Aug. libri XII. Francf. 1672. pg. 63.

⁴⁴⁾ Fredro I. c. Heidenstein I. c.

culum perspiciebant. Nihilominus, quamvis his rebus paullo ante gestis adjuti, ipsi inter se regem quum invenire non possent, summa vi id amplectebantur, quod gentis vota studiaque sequebantur, tenacesque se praebentes propositi non subeundi Austriae jugum⁴⁵⁾ Sigismundi Augusti sororem „Annam, Reginam virginem sibi principem legitimam“ crearunt, „eidemque maritum Stephanum Bathoreum, Palatinum Transsylvaniae ac futurum regem“ designarunt⁴⁶⁾. Nullus quoniam aderat episcopus, qui electionem proclamaret, Siennicki, nuntiorum terrestrium marescallus, his primatis vicibus functus est. Ita quum duplex facta esset electio, dubium fuit, utra pars victoriam reportatura esset. Quemadmodum enim legatio ad Bathoreum missa erat, quae ipsi electionis diploma perferret, ita et similem legationem alterae partes Vindobonam ad Maximilianum miserunt, qui ab ordinibus Lithuanicis et Borussiae adjutus, hinc lucrari non nolebat, immo cum Moscoviae Magno duce id iniiit foedus, ut Poloniae regno, in quod sibi jus vindicabat, in Ernesti, Imperatoris filii, favorem relicto, hic Lithuaniam acciperet et ab omnibus hujus pacti adversariis, foedere inter Austriam, Hispaniam, Moscoviae Magnum ducem, Papam icto defenderetur⁴⁷⁾.

⁴⁵⁾ Heidenstein pg. 64., 65. cf. pg. 82., 83 et ibid. (pg. 86 — 90.) Joannis Zamoisicii orationem. — Joann. Demetr. Sulikovii Commentarius brevis rerum Polonicarum a morte Sigismundi August. Dant. 1647. pg. 49., 50.

⁴⁶⁾ Verbis quae supra citavi, Sulkovius, Comm. r. Pol. pg. 51., ideas, quae tunc praevalebant, complectitur.

⁴⁷⁾ Diarium et amplum et fide dignum de hac electione et toto interregno litteris mandavit Orzelski (exstat ap. I. U. Niemcewicz, Zbiór pamiętników o dawnéj Polsce. Warsz. 1822. T. II.), ubi in ordinum Lithuanicorum litteris, quas ad magnum ducem dederant, haec invenitur notitia (pg. 130.) Semper, nisi alius citatus est fons, seculi sumus hoc documentum. — Bizardiére omnibus his de rebus haud ita admodum locuples est testis.

Quae omnia pericula prudens et providus Stephanus, postquam corona ejus capiti fuit imposita, a republica avertit atque Joannis Zamoscii virtute ingenioque adjutus subditos, imperium detractantes ad officium reduxit, ita ut victor ex obstinato illo certamine omnino evaderet ⁴⁸).

Sed quamvis Stephanus Bathoreus circumspecte potentiam suam et firmare et augere niteretur ⁴⁹), propter illam indefessam constantiam illamque, qua Habsburgicorum politica ars semper insignis erat, calliditatem, quae a consiliis antea captis nunquam desistebat, Bathoreus, inquam, facere non potuit, quin nobilium discordiam auget, quae inprimis quum Samuel Zborowski, propter caedem ille exsul factus, ob leges contemptas caedi jussus esset a Zamoscio in rixam funestam et serius ocus in certamen exsurgeret ⁵⁰). Stephano Bathoreo regnante auctoritatem, quam erat assecutus Zamoscius, ejus adversarii nisi interregno se abolituros esse sperabant, eoque principe in regnum evocando, qui propter res ante actas non posset tantam, quantam Bathoreus Zamoscio tribuere fidem ⁵¹). Gallia interea ita civilibus erat bellis debilitata, ut periculum esset, ne Hispaniae subjiceretur ⁵²), eaque flagrabat discordia nullo modo ut posset eadem qua Franciscus I. contra Hispaniam cum Austria conjunctam agere ratione.

⁴⁸) Heidenstein pg. 104.

⁴⁹) Zborowskia gens, quae inprimis effecerat, ut Bathory rex eligeretur, speraverat fore ut propterea gratia valeret, sed Bathoreus homines non nisi propter ipsorum virtutem suspiciens, non obsequabatur Zborowskiae genti, instanti, ut ipsi munera et bona impertiret, sed omnimodo favebat Zamoscio, qui summa pollebat apud nobiles auctoritate. —

⁵⁰) Heidenstein. — Müller. — Pamiętniki o Samuelu Zborowskim pr. L. S. (iemieński). Posnan. 1844. Pamiętnik do życia i spraw Samuela i Krzysztofa Zborowskich ed. Żegota Pauli. Lips. 1846.

⁵¹) Niemcewicz, Dzieje panow. Zyg. III. T. I. cp. I. cf. Discorso 1587 di Hor. Spanorchii apud Phil. Honorium. l. c. p. 527—28.

⁵²) Leop. Ranke, Frzös. Gesch. II. p. 114—142.

Si qui exstiterunt Poloni, qui Guisium ducem eligere vellent regem, nolebant Austriam ejusque inter Polonos sectatores reprimere⁵³). Neque igitur ullus alius fuit princeps, qui Zamoscii adversariis acceptior esse posset, quam Imper. Rudolphi II. frater, Maximilianus, qui Stephano Bathoreo mortuo Poloniae coronam petebat. Ambitus hujus electionis proinde iidem fere qui antea fuerunt; eadem partes inter se de victoria contendebant, eventus fuit idem, nisi quod Austriacorum acri studio et malitia civium sanguis profundebar. Lithuani (Radziviliana gente, quae paullo ante ab Imperatore in principum dignitatem evecta ideoque eum beneficium laudibus extollere non desinebat⁵⁴) et Chodkiewicziana gente excepta, quae Maximilianum insano sequebatur studio,) neutras partes sequebantur et libentissime Moscoviae magnum ducem agnovissent Poloniae regem⁵⁵). Bathorei nepotes haud magna valebant auctoritate⁵⁶). Factio Polonorum popularis, frustra illa nisa, ut ex ipsa gente Rex crearetur, non potuit nunc, quum Zamoscius ejus esset antesignanus idemque a Zborowskiana factione afficeretur „Vatiniano odio,“ prae se ferre sua studia, nisi discidium irreparabile reddere vellet; rursus igitur in eum convertebat principem studia, quo populi vota, quamvis fama tantum quadam⁵⁷), ut ita dicam repraesentabantur. Nulla igitur

⁵³) Discorso dell' interregno di Polonia dell' anno 1587 di Hor. Spanorchii apud Phil. Honorium l. c. pg. 542.

⁵⁴) Bizardiè l. c. p. 96. cf. Joachim Lelewel, Considerations etc. §. 120. Piasecki, Chronica gestor. in Europa singularium ed. Crac. pg. 61. 62. — Heidenstein l. c. pg. 253.

⁵⁵) Heidenstein l. c. pg. 249 p. 261 sqq. — Niemcewicz, Dzieje panowiana Zyg. III. T. I. lib. I.

⁵⁶) Heidenstein l. c. pg. 257. cf. Discorso dell' interregno di Polonia dell' anno 1587 di Horatio Spanorchii. Apud Ph. Honorium l. c. pg. 537. 599.

⁵⁷) Stanisłai Łubieński, Opera posthuma. Antwerp. 1643. pg. 478. 479. 490. pg. 406: „In Sigismundum Sueciae principem, Catharina

ratione Austriae sectatores sibi devinciendi praetermissa, quum hi jam de vi adhibenda, ut victoriam sibi compararent, cogitarent, nulla alia salus relicta videbatur nisi ut Sigismundus III. Joannis ex Catharina Jagellonica filius⁵⁸⁾, Rex proclamaretur. Adversarii vim hac electione factam esse contestati rursus facinus perpetrarunt Maximiliano ad Poloniae regnum evocato. Utra pars victoriam reportatura esset, dubium non esse poterat, quandoquidem Zamosciani et gratia et numero valebant et adjuvabantur a clericis, quum Papae legatus, conjunctus ille cum haereticis, Maximiliano ad Poloniae regnum pomovendo studeret⁵⁹⁾. Quae utut erant, Sigismundus III. non nisi per Austriacorum satellitum caedem ad Poloniae regni solium ascendere potuit, neque Maximilianus, nisi captus oblivisci, se Poloniae regem fieri potuisse⁶⁰⁾.

Jagellonicorum stirpem Cracoviae commorari audiens populus spe et gaudio affici⁶¹⁾; hac electione populari inter Polonos elemento summa conciliari potentia, quin etiam spes affulgere vi-

Jagellonica ortum, nostri veluti sanguinis et linguae regem popularia studia propendebant; quem cum videret Zamoscius, non tantum equestris ordinis consensu, sed etiam Annae Jagellonicae Reginae opibus promoveri nec alium haberet, quem potentiae Austriacae opponeret, ad quem quoque flexit animum, suamque potentiam populari favori adjunxit.“

⁵⁸⁾ Vide litteras ordinum de hac electione ad Principes universos, apud Jo. Burch. Menckenium, Sigismundi Augusti etc. epistolae etc. Accesserunt opuscula duo alia ad electionem Sigismundi III. spectantia. Lips. 1703 pg. 661—688. Piasecki l. c. pg. 61. 62. Heidenstein pg. 261. 599. Sulikowii, Commentar. pg. 194.

⁵⁹⁾ Bizardière l. c. pg. 92. Niemcewicz, Dzieje Zyg. III. T. I. pg. 33. 34. 41. 42.

⁶⁰⁾ commercium litterarium, ad omnes has res pertinens, intra ordines et Maximilianum Menckenius (l. c.) servavit. Egregius est labor Spanorchii (l. c.); sed non praetereunda silentio altera commentatio quam nobis Honor. (l. c.) servavit. Magnam copiam praebet Niemcewicz. — Bizardière eleganter has exposuit res.

⁶¹⁾ Heidenstein l. c. pg. 274 et 277. P. Piasecki Chronica gestor. in Europa singularium ed. Cracow. pag. 66. 67.

debatur, fore ut nova ex dynastia condita reges, quemadmodum id prioribus factum erat temporibus, crearentur⁶²⁾; sed, proh dolor! quam celeriter vanam illam fuisse spem edocebantur! Etenim Sigismundus III. Wladislaum IV. et Joannem Casimirum filios reliquit reges quidem Polonis, sed re vera ipsam Poloni populi utilitatem felicitatemque non spectavit.

Omni ejus arli politicae fuit propositum (ita de ea nos judicare et posse et debere censemus), ut fidem catholicam omnimodo tuens et adjuvans regnum suum haereditarium in Romanae sedis obsequium rursus redigeret⁶³⁾. Quem finem ut assequeretur, non dubitasset Polonorum populum fanaticum quasi fidei catholicae apostolum reddere, modo omnem populi Polonici indolem immutare potuisset. Num enim, apud quos jamdudum omnibus quamcunque fidem profitentibus refugium datum erat, num, inquam, ii, etiam fide catholica quam maxime rursus contra Protestantium fidem agente, fanatici severique inquisitores fieri poterant? Neque minus tamen Sigismundus, pontificis Romani quam devotissimus servus, admiranda quadam pertinacia finem sibi persequendum esse ratus cum principibus Habsburgicis faciebat. Hi vero inter omnes, quibus catholicae fidei principatum quovis modo reddendum esse persuasum esset, ea pollebant vi et auctoritate, ut Sigismundus, licet inter utramque gentem summus esset opinionum dissensus, summa eorum teneretur amicitia societateque.

⁶²⁾ Discorso dell' interregno di Polonia dell' anno 1587 di Horatio Spanorchii apud Ph. Honorium pg. 531.

⁶³⁾ Aug. Theineri opere (Versuche des heiligen Stuhles in den letzten drei Jahrhunderten, die durch Ketzerei und Schisma von ihm getrennten Völker des Nordens wiederum mit der Kirche zu vereinen. Augsburg 1839 — praesertim vero documentis illi annexis), ex quo hujus rei notitiam, post L. Rankii (Paepste), hausit, hoc confirmari videtur. Clarius hoc innuit M. J. A. Rychcicki, Piotr Skarga i jego wiek. Krakow 1851. —

Inprimis vero Sueco-Polonicis moliminibus quae Philippus II., Hispaniarum rex, contra Britanniam agitare, consilia quam maxima promotum iri videbantur⁶⁴⁾ et Sigismundus III. ipse, dum contra Russiam aliquid suscepisset, meliore successu contra Suecos acturus esse⁶⁵⁾. Propter quae omnia summa consilia non potuit non esse Austriae socius, sed quo arctius modo vinculum inter ipsum et hoc imperium reddebatur, eodem et in summam Polonorum, semper quam maxime ab Habsburgicis abhorrentium incurrit suspicionem. Quid mirum? si fidelissimi ejus inter Polonos cives exstiterunt adversarii, ita ut ei Polonici regni Habsburgicis prodendi reum et fugam in Sueciam meditantem vocare in comitorum iudicium non dubitarent⁶⁶⁾. Facta igitur erant (1592) comitia inquisitionis, quibus nonnihil quum jam regiae auctoritati fuisset detractum⁶⁷⁾, rex ipse proelio Guzoviensi (1607) quam maxime invisus redditus est⁶⁸⁾. Neque hac caede tolli poterat discidium, quod erat inter regem et populum: quod priusquam efficeretur a nullis, quamvis cruentis consiliis (Rokosz) abhorrebat populus, ut servaret libertatem suam, quam ne Habsburgici in discrimen vocarent nimis metuebat⁶⁹⁾. Jam in comitiis convocationis (1587) episcopi „Liberum Veto“ adhibituros se esse minati sunt, ut dissidentes jura sua strenue tuen-

⁶⁴⁾ L. Ranke, Paepste ed. 2. T. II. pg. 367—401.

⁶⁵⁾ Ibid. T. II. pg. 448. nota 1.

⁶⁶⁾ Piasecki l. c. p. 78. J. U. Niemcewicz, Dzieje panow. Zyg. III. T. I. pg. 135. 136. 137. Res ipsa ita, ut ad fidem historicam nihil requiratur probari quidem non potest, sed sive vera sive ficta fuit, longe maximi certe momenti fuit in omnes res, quae hoc tempore gestae sunt apud Polonos.

⁶⁷⁾ J. U. Niemcewicz l. c. T. I. pg. 164. 599.

⁶⁸⁾ Ibid. T. II. cp. 1—9. Copiosissime rem enarrat M. J. A. Rychcicki (Piotr Skarga i jego wiek. Krak. 1851. T. II. pg. 354—394), qui quamvis ὀρθοδοξίατος minus historici munere fungatur, summi aestimandus est propter res, quas novas affert. Imprimis invehitur in Val. Krasinscii historiam reformat. in Pol.

⁶⁹⁾ Rychcicki l. c. Piasecki passim. Heidenstein passim.

tes perterrerent⁷⁰⁾. Dum agitur de duplici electione componenda, absoluta quaedam suffragiorum unanimitas summo opere fuit postulata⁷¹⁾. Contra hoc Rokoszani monere: „in prioribus comitiis publicis, quia unanimitas nunquam fere sperari posset, majore suffragiorum numero omnia agenda esse⁷²⁾,” neque illos rex nisi confoederationis auctoritate, in qua vel major sententiarum numerus semper et perpetuo valebat⁷³⁾, vincere potuit⁷⁴⁾. Triginta sex comitorum, quae Sigismundo III. regnante habita sunt sex rupta sunt, duoque irrita omni caruerunt eventu⁷⁵⁾. Vehementissimae illae jactationes, quibus respublica jam per tria interregna labefactata erat, fuerunt causae ut Poloni de stabilienda successione regum contra machinationes et internas et externas cogitarent. Itaque comitiis a. 1589 habitis Zamoscus suadebat, ut aut regis filii tantum crearentur aut, ubi hi inveniri non possent, „slavica gens respiceretur“⁷⁶⁾; sed episcopi catholicae Romanae fidei condicionem, quae nullo modo mi-

⁷⁰⁾ Valer. Krasiński, Historical sketch of the rise etc. of the reformation in Poland. T. II. pag. 88. 89.

⁷¹⁾ Menckenius l. c. pg. 627. 663. 635. 641. 642. 643. 656. 669. 672. 674.

⁷²⁾ Rychcicki l. c. II. pg. 388. 418, cf. Th. Czacki, Obraz panowania Zygmunta Aug. l. c. 5. not. 3.

⁷³⁾ De Polonorum confoederationibus. Praeside Gottfr. Lengnich disput. Carol. Ern. Kettner, ed. 2da Lipsiae 1735. pg. 19. cf. Lelewel, Considerations §. 122.

⁷⁴⁾ Rychcicki l. c. II. pg. 416.

⁷⁵⁾ Quas hic in transcurso tetigi generalis juris publici quaestiones postulant, ut paullo copiosius, quam adnotatione fieri potest, tractentur. Excursum igitur de „Libero Veto“ addidimus, quem, quoniam nostra qualiscunque discrepat ab ea, quae hucusque probata fuit, sententia, VV. DD. benevolis subjicimus iudiciis. Vide Append. hujus comment.

⁷⁶⁾ Zamoscus hac de re epistolam ad Stan. Reszkam, illo tempore Poloniae legati munere Romae fungentem, dat conscriptam „Zamość 10. m. Jan. 1589.“ Litteris expressa est apud Ambrož. Grabowski, Staroy tnosci histor. polsk. Krak. 1840. T. II. p. 397. Quod conatus ejus evanuerit factionem Habsburgicam incusat. —

granda esset, addi voluerunt, contra quos Zamoscus „Catholica fide,“ jam satis cautum esse monuit ⁷⁷⁾. „Eo tandem litigando et rixando, incalcraftis animis descensum est, ut Cancellarius (sc. Zamoscus) dixerit: Eia, si exprimendus sit Catholicus et hoc exprimendum esse, ut domus Austriaca in sempiternum ab electione Polonica excludatur ⁷⁸⁾.“ Hac ex re quum summum detrimentum Rempubliam capturam esse Archiepiscopus Gnesnensis probare studeret, factum est, ut res quam maxime salutaris summo nostro malo dissoluta ad sequentia rejiceretur comitia ⁷⁹⁾. Omnes reipublicae melius ordinandae conatus ut irriti essent, factum est, quod inter se pugnassent et populi vota et dynastiae Austriacae consilia, quibus Sigismundus III. nullo modo resistere vel minime voluit ⁸⁰⁾. Et

⁷⁷⁾ Heidenstein pg. 285.

⁷⁸⁾ Sulikowii commentarius pg. 210. cf. Heidenstein pg. 285.

⁷⁹⁾ Heidenstein p. 285. Domus Austriaca ab electione Polonica ut excluderetur, identidem postulatum est, e. gr. in comitiis inquisitionis ann. 1592. habitis (Heidenstein pg. 300). Vanozzii quoque relatione (an. 1596. secund. MS. in bibliotheca Albani servatam, cui titulus est: „Ristretto della doppia negoziazione fatta dal Vanozzi etc. Versa in Polonicam linguam et edita ab J. U. Niemcewicz (Zbiór pamiętników o dawnęj Polsce Warsz. 1822. Tom. II. p. 295) de hoc Polonorum consilio edocemur. Ordines cum Maximiliano de illegitima ejus electione agentes provocant ad Andrejoviensem quandam constitutionem (ibi statim post Stephani Bathorei electionem comitia habita sunt), „qua serenissimi Austriaci principes, propter publicas Regni hujus rationes, a Regno exclusi fuerant“ (Litterae ordinum ad principes universos apud J. B. Menckenium l. c. p. 681), qualis constitutio facta non esse videtur, neque Zamoscio inscio tunc fieri potuit. Provocasset ad illam, si qua exstitisset, ut ad finem perveniret. Regi Romanam Catholicam fidem profitendam esse, sancitum est, anno 1669 demum in Pactis Conventis regis Michaelis, cf. Vol. leg. IV. fol. 1.

⁸⁰⁾ Piasecki, egregius rerum scriptor, facere non potest, quin, Annae Jagellonicae mortem referens queratur, quantum detrimenti Sigismundi III. aula Polonicis rebus afferat: „Ultima illa fuit stirpis Jagellonicae, et cum ea non genus solum illud Regium sed et omnis aulae

quamvis propter regni jura haud omnibus in rebus certa et constituta, non deesset occasio, unde inveteratam, qua ipsius ars politica flagraret, invidiam rex experiretur, perstitit tamen Sigismundus in ea, quam ingressus erat, via, captus ille Jesuitarum adulationibus et laudibus, quibus dignus est habitus a Pontif. Max.⁸¹⁾. Neque tamen ita regnum suum hereditarium recuperavit aut amorem illius populi, qui ipsum regem creaverat. Majorem dolorem ex priore quum percepisset malo, fortasse sperabat, fore ut conjunctus cum Austria, quamvis Polonis invisus, in regno hereditario rursus in suam potestatem redigendo adjuvaretur magisque sperabat, quum ei Wallensteinus contra Gustavum Adolphum auxilio venisset; sed fuerunt Wallensteinio mandatae res, quae ut illi bene succederent, Sigismundus III., et Poloniae et Sueciae regis personam sustinens, cupere nequibat, — et rursus, quum imperatoris arma illo tempore ubique fere victoria sequeretur, commode fieri poterat, ut Borussia Imperatori capta cum Germania conjungeretur⁸²⁾. Verum enimvero gravissimus idemque pertinacissimus ibi domo Austriacae obortus est hostis, qui omnia ejus consilia confunderet.

In Gallia enim, quae interea et pacata fuit et iam majores ceperat spiritus, Rischelius eandem, quam Franciscus I. et Henricus IV. contra Habsburgicos erant secuti artem politicam

Poloniae mos antiquus ac Majestatis decor interiit cum principibus novis Germanis subrepente Germanismo genti isti ingrato et adverso.“ (Chronica gestor. in Europa singul. ed. Cracow. pg. 145 sub a. 1596).

⁸¹⁾ Omnia haec satis probantur Theimeriano libro: *Versuche des heiligen Stuhles* etc. — Quae ad Jesuitas spectant Conciones Petri Skargae satis fecere. Cf. Wacł. Alex. Maciejowski, Piotr Skarga, Biblioteka Zakł. Ossolińsk. Leopól. et contra Rychciński l. c.

⁸²⁾ L. Ranke, V. III. et primum fuisse et usque ad hunc diem unicum esse, qui hoc moneret et urgeret, monendum esse puto. (Paepte: T. II, pg. 551. n. 1.)

atrocissime omnibusque rationibus tuitus est; ut paullo post etiam de regno Poloniae cum Austria contenderet. —

Non est nostrum omnia, quae ad subruendam Imperatoris vim auctoritatemque tunc accessere, explicare; sufficere commemorasse ambitionem Rischelii ac dissidia, quae ob successionem Mantuanam (1627) inter Galliam, Austriam, Hispaniam orta sint, consecutas esse inducias inter Sueciam et Poloniam (a. d. VI. Kal. Octbr. a. 1629. ⁸³), conjunctionem Galliae cum Gustavo Adolpho, dimissionem Wallensteinii, qui solus maxima cum dignitate imperii majestatem tueretur, deinde multas calamitates, quibus imperatores usque ad pacem Westphalicam affligerentur ⁸⁴).

Per omne ejus temporis spatium imperatores auctoritatem suam magis magisque minui et inimicitias ex omnibus partibus a Gallis sibi minari satis intelligebant ⁸⁵), unius tantum Polonorum regis fidelissima amicitia adhuc gaudentes. Quae amicitia eo magis Gallos sollicitabat, quum Vladislaus IV., patre mortuo, populi voluntate rex factus jam primis rebus gestis quam maximam de se Polonis spem excitaret ⁸⁶). Quam ob rem aula Gallica summa ope studebat, ut finitis induciis pax inter Poloniam et Sueciam componeretur ⁸⁷), ne Sueci orto cum Polonis

⁸³) Niemcewicz, Dz. Z. III. Tom. III. pg. 343—358. ubi patet factas reperimus artes, quibus Gallia hoc negotio usa est.

⁸⁴) Leop. Ranke, Paepste II. cp. 4. pg. 528—559.

⁸⁵) Rischelius fecit foedera haec: cum Hollandia (8. Febr. 1635) adversus Hispaniam, — cum Suecia Compendii (28. April. 1635) in prioribus (praesertim 9. Octbr. 1634) adversus Germaniam, cum Sabaudia, Rivoli (11. Jul. 1653) adv. Germ. etc. cf. Du Mont, Corps diplomatique T. V.

⁸⁶) Jędrz. Moraczewski, Dzieje Rzeczy posp. polsk. Pozn. 1847. T. VII. pg. 400 sqq.

⁸⁷) Consignata Stumsdorfii 12. Septbr. 1635. pax inter Sueciam et Vladislaum IV. intercedente Gallia facta est. Quod ad labores attinet, quos Gallia eo negotio subiit, certos accepimus nuntios ex litteris comitis d'Avaux, legati Ludovici XIII. apud aulam Polonicam, quae reperiri

bello ex Germania reducerentur, atque omnibus utebatur subsidiis, quae Vladislaum IV. Austriae abalienarent. Itaque aula Gallica id agebat, ut a matrimonio cum filia imperatoris contrahendo eum arceret ⁸⁸⁾, ut ambitionem ejus, „suscitando ipsius jura repetendae Silesiae et aliarum, quae sibi justa censeret, terrarum ⁸⁹⁾,“ concitaret, „ut auxilium ei offerret si imperatore mortuo, coronam Austriae appeteret, aut statim rex Romanus fieri vellet ⁹⁰⁾,“ ut propensissimam denique se ad pacem „eo intercedente“ faciendam praestaret ⁹¹⁾. Quibus omnibus rebus Vladislaus haud moveri non videbatur ⁹²⁾; sed Austria quo majus inde imminere sibi periculum intelligebat, id spectabat, ut Galliae auctoritas in aula Polonica minueretur ⁹³⁾, etsi facile perspici potuit, quantopere Gallia artibus pecuniaque adhibitis deditos adhuc imperatori proceres magis magisque in suas traxisset partes auctoritatemque Habsburgorum in Rempublicam delevisset ⁹⁴⁾.

Quamquam Rischelius prospero moliminum successu haud diu gaudebat († an. 1642), consilium tamen ab eo captum post ejus mortem abjectum non est, Mazarinus enim, aequae tamen superbus et ambitiosus, reprimendis Austriae animis obtinendaeque Galliae in Europa auctoritati et ipse studebat ⁹⁵⁾. Apud Poloniae quoque regem Gallorum artificia tantum valuerunt, ut Vladislaus,

possunt in: Skarbiec historyi polsk. p. Karòla Sieńkiewicza. Paris 1839. T. I. p. 102—161.

⁸⁸⁾ Instructio comiti d'Avaux data l. c. p. 107. 106. 117. 143. 147. 159.

⁸⁹⁾ Ibid. pg. 114. 144. 156.

⁹⁰⁾ Ibid. pg. 117. 158.

⁹¹⁾ Ibid. pg. 146.

⁹²⁾ Ibid. pg. 131. 134.

⁹³⁾ Ibid. pg. 133.

⁹⁴⁾ Ibid. pg. 134. 135.

⁹⁵⁾ Histoire du Cardinal Mazarin par M. Aubery. Amsterd. 1715.

amissa anno 1644 uxore, Mariam Ludovicam e gente Gonzaga, jam diu a Gallia commendatam ⁹⁶⁾, „ut filiam Galliae,“ in matrimonium duceret ⁹⁷⁾. Pax Westphalica, quae bello triginta per annos Christianos consumentem finem imposuit, quantum Austriae auctoritatem fregerit, nemini ignotum est, praesertim si memineris, ea omnia foedera si quae inter Germanorum principes ac reges externos in posterum fierent, veluti sancita esse ⁹⁸⁾.

Galliae quanta esset auctoritas electione quoque novi Poloniae regis, Vladislao IV. mortuo, manifestum fuit. Ex quatuor enim candidatis maximam spem Polonorum regni assequendi duo Vladislai fratres habuerunt: Joannes Casimirus et Carolus Ferdinandus, hic episcopus Vratislaviensis, ille Ex-Jesuita et Cardinalis. Joannes Casimirus, praesertim auxilio Mariae Ludovicae, post Vladislai IV. mortem viduae magnaque apud nobilitatem gratia utentis, graviter a Gallia adjuvabatur ⁹⁹⁾; Carolum Ferdinandum autem, quem Austria omni modo in regno Polonico collocare cupiebat, non minus Suecia, minime freta illa „inconstanti“ Joannis Casimiri natura, sustentabat ¹⁰⁰⁾; sed ubi intellexit, Galliam nulla ratione prohiberi posse, quominus Joannis

⁹⁶⁾ Instructio comiti d'Avaux data l. c. p. 116, 117, 159. cf. Mémoires de Michel de Marolles ed. Amsterd. 1755. T. I. p. 302.

⁹⁷⁾ Contract de mariage entre Vladislao IV. Roi de Pol. et Mme la Princesse de Mantoue. Fait à Fontainebleau le 26. Septbr. 1645. Apud Du-Mont, Corps diplomatique T. VI. 1ère partie pg. 326—328. cf. Aubery, l. c. T. I. p. 412—416. Rudawski, Annales Pol. a morte Vladislao IV. usque ad pacem Oliviensem libri IX. I. cp. 6. pg. 24. —

⁹⁸⁾ Instrum. Pacis Osnabr. Art. 8. §. 2. cfr. Kl. Fr. Eichhorn, Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte, ed. V. T. IV. pg. 529—565.

⁹⁹⁾ P. Linage de Vauciennes, Mémoires de ce qui s'est passé en Suède et aux provinces voisines, dep. 1645—55. Ensemble le demêlé de la Suède avec la Pologne. Tiréz des despesches de M. Chanut. Paris, 1675. T. I. pg. 303. 304. 308. 310. 354.

¹⁰⁰⁾ Chanut I. pg. 306. 307.

Casimiri electioni faveret¹⁰¹⁾, priorem clientem juvare desiit, una cum Gallia egit et ad creandum Joannem Casimirum, cui etiam inter Polonos majores partes erant¹⁰²⁾, haud parum momenti attulit¹⁰³⁾. Tam prosperi ubique contentionum aulae Gallicae eventus adduxerunt Mazarinum in spem fore ut subministraret Ludovico XIV., mortuo Ferdinando III. (1657), imperium, qua praecipue ab electore Brandenburgico destitutus est¹⁰⁴⁾. Quam ob rem aula Gallica ad easdem, quibus antea usa erat, ambages confugit: Lusitanis ad seditionem permotis debilitatam jam per se Hispaniae vim fregit et Condaeo in Polonorum regno collocato Austriam quoque utrimque turbatam et pressam ita facilius debilitatum iri putavit¹⁰⁵⁾. Quamquam Austria haud

¹⁰¹⁾ Id. I. pg. 350. 340—342.

¹⁰²⁾ Kochowski, *Annalium Poloniae Climacter* I. pg. 71 — 80. Joach. de Hirtenberg Pastorius: *Historiae Polonae plenioris pars prior etc.* Ged. 1680. lib. IV. pg. 209—236.

¹⁰³⁾ Chanut I. pg. 339. 342. 343. 348. 368. 369. cf. Rudowski I. c. lib. I. cp. 4. cf. *Mémoires concernant Christine, reine de Suède etc.* p. Archenholtz. T. I. pg. 141—145.

¹⁰⁴⁾ Lemontey I. c. Pièces justificatives No. II.: „Tentative de Louis XIV. pour se faire élire empereur d'Allemagne. pg. 462 — 484. *Mémoire de Gramont* (Coll. Petitot, 2de serie. T. 56. pg. 435. sqq.) L. Ranke, *Neun Bücher preuss. Gesch.* T. I. pg. 77.

¹⁰⁵⁾ Documents inédits. *Negoc. sur la success, d'Esp.* T. II. pg. 276—280. — Ea, quae Capefigue (Louis XIV, son gouvernement etc. Tom. III. p. 217. 218) de contentionibus a Gallia in assequendo regno Poloniae positis posteriore tempore affert, omni jure ad haec quoque tempora, de quibus agitur, pertinent: „mais de ce moment on voit toute la sollicitude de la diplomatie française se porter sur la Pologne. On espère une vacance du thrône, pourquoi ne chercherait-on pas à pousser l'élection vers un prince français? Le Duc d'Anjou, depuis Henri III, n'avait-il pas été roi de Pologne au seizième siècle? Il y avait intimité et similitude entre les deux nations; l'union de la Pologne et de Louis XIV, plaçait la confédération allemande entre deux feux; elle ne permettait plus de ligue contre la France. La Pologne menaçait tout à la fois l'électeur de Brandebourg et le centre de l'Allemagne.“ — cf. Pufendorf F. W. X. §. 90.

multum in Polonia valuit, satis tamen adhuc viguit, ut auctoritati, qua Gallia apud rempublicam auxilio Mariae Ludovicae utebatur, fortiter obsisteret, et ita factum est, ut discordiae undique concitatae eaeque gravissimae majora Reipublicae damna afferrent, quam unquam antea; nunquam enim prioribus temporibus eo ardore Poloni inter se dimicabant, nunquam tanta confusio tantaque discordia Rempublicam turbaverant, quantae collidentibus inter se corruptisque per Galliam et Austriam civibus, sub ultimo in Polonia Vasarum rege.

Gallia atque Austria sua quaeque commoda ex collocando principem sibi addictum in Polonorum solio, vivo adhuc Joanne Casimiro, petebant. Quae utrorumque commoda quum diversas in partes discederent, propriis etiam Mariae Ludovicae, Reginae Polonorum, commodis tum provecta tum impedita, insignia elementa vitiosae illius aemulationis ac certaminis, quod in aula Polonica atrocissimum inter factionem Austriacam et Gallicam exoriebatur, exstiterunt usque ad id tempus, quo Poloni vehementissimis asperrimisque Gallorum artibus, quae Poloniae coronam veluti quovis pretio parandam ostendebant, attoniti in proelium contra factionem aulicam, quae „Gallica“ vulgo appellabatur, alacriter eum in finem descenderunt, ut et dignitatem et institutiones Reipublicae conservarent, ac libertatem, mores, consuetudines ordinis equestris ejusque regem libere eligendi jus, tuerentur. Saevum atque atrox certamen, quod inter tria illa elementa exarsit, nequaquam servavit eandem naturam, nam major illa qua Gallia apud aulam Polonicam utebatur auctoritas omne fere Polonorum odium indignationemque contra Gallos excitabat, Austria minus periculosa Polonis videbatur, etiamsi exorta jam contra Habsburgos suspicio non tolleretur. Quibus finibus circumscriptum certamen diu gliscebat maximo ardore in sinu Reipublicae, priusquam in apertum sese effunderet campum et Reipublicae, nimis jam externis bellis debilitatae, maxime necessarias vires adeo exhaustit, ut denique

fortissimum, hoc regnum perpetuis confectum turbis nunquam ad
pristinam aspirare posset felicitatem.¹⁰⁶⁾

Hinc mihi in animo fuit, diligenter quaerere, quae causae con-
siliium designandi successorem, Joanne Casimiro adhuc vivente,
proferre potuissent, ac perquirere quanti fuisset momenti non
tam ipsa Joannis Casimiri abdicatio, quam, quae illam antecessissent,
studia contentionesque in historia Polonorum Reipublicae. Quae
longe gravissima quaestio ad cognitionem rerum gestarum non
solum Polonorum, sed etiam aliorum, principalium populorum
saeculi XVII. fugit hactenus scriptores rerum gestarum. W. H.
Grauertus, historiae in universitate Vindobonensi Professor, non-
nulla quidem de ea quaestione scripsit¹⁰⁷⁾, sed potissimum tem-
poribus interregni, quod Joannis Casimiri abdicationem secutum
est, et novi regis electione occupatus, non satis respexit principia
et semina diversarum earum contentionum, quas explicandas
sibi proposuit, minimeque explanavit naturam et insigne illud
momentum, quod propter politicas atque historicas rationes illis
certaminibus tribuendum est.

Jam decursis vitae academicae, quae eruditioni atque hu-
manitati pro virili parte dedita erat, spatii, quum aliquod me
litterarum specimen edere sit necesse, ex genuinis fontibus, qui
Grauerto ignoti erant, ea, unde disputatio de Joannis Casimiri
abdicatione exordienda esset, depromsi, quaeque hujusmodi

¹⁰⁶⁾ Eandem sententiam pronunciavit Elector per legatum suum
Hoverbequium a. 1674 Vide Pufendorf, F. W. XII. cap. 81.

¹⁰⁷⁾ W. H. Grauert, Die Thronentsagung des Koenigs Johann Casimir
von Polen und die Wahl seines Nachfolgers. Quae commentatio in-
serta legitur in: Sitzungsberichte der k. k. Academie der Wissen-
schaften zu Wien. Hist. philos. Classe an. 1851. mens. April. pg.
343 — 408.

scriptioni fore accommodata putavi, specimén hoc quaecunqúe qua par est observantia doctorum virorum existimationi atque iudicio submittere audeo.

Liceat nobis initium capere a descriptione praecipuorum illius certaminis ductorum: regis scilicet et reginae Polonorum! —

COMMENTATIO.

§. I.

JOANNES CASIMIRUS.

Inter laetissima regni Vasarum tempora, qui per octoginta duos annos Poloniae imperium tenuere, merito atque suo jure referri potest regnum Vladislai IV., quod cum per se haud felicissimum tum Cosacorum seditione Bogdani Chmielnickii ductu et auspicio brevi ante ejus mortem mota, vehementissime perturbatum est¹⁾.

Contemplantes Rempublicam quo statu Vladislaus IV. reliquerit²⁾, sponte quaeremus: quidnam postulari aut sane exspectari de Vladislai IV. successore potuerit?

¹⁾ Joach. ab Hirtenberg Pastorius, *Historiae Poloniae pars prior de Vlad. IV. regis extremis, secutoque inde interregno etc.* Interserta Cosacorum ac Tartarorum simul gent. descr. etc. Ged. 1680. — Ejusd.: *Bellum Scythico-Cosacicum seu de conjuratione Tartaror. Cosacor. et plebis Russiae contra regn. Pol. Dant. 1652.* — Kochowski, *Clim. I.* sequitur fere in omnibus, quae ad Cosacor. sedit. pertinent, Pastorium. Sam. Grondski (*Historia belli Cosacco-Polonici. ed. Car. Koppi. Pestini 1789*) magis Cosacorum partibus favet ideoque cum commemoratis scriptb. est conferendus. Nuper J. N. Czarnkowski (*Ukraina i Zaporozze czyli historia kazakow. Warsz. 1853 T. II.*) nonnulla adhuc incognita ad historiam seditionis illius attulit, quibus autem uti tempus non permisit.

²⁾ Vlad. IV. mort. a. d. XIII. Kal. Jun. 1648 cf. Kochowski, *annaliu Poloniae Climacter I. pg. 21. 22.*

Bellum sociale-religiosum idemque civile, quod a Cosacis coeptum Rempublicam vastare popularique minitabatur³⁾, — atrox illud certamen, quod ipso in sinu gremioque Reipublicae inter Catholicos et Dissidentes exarsit⁴⁾, solus sedare poterat vir peracris ingenii, vir consilio et manu promptus, vir fortis animosusque, qui neque periculis neque angustiis, quibus tum Respublica summis premebatur, a proposito averteretur, sed potius iis vires suas reficiens, cum vitae cursum teneret, ut vel in negotiis sine periculo, vel in otio cum dignitate regnare posset, qui idem minime prohiberet, quominus elementa et virtutes, quae tum in sinu Reipublicae existere coeperunt, pro sua quaeque indole magis magisque crescerent: — opus fuit, inquam, viro, qui ad Reipublicae commodum non minus uti sciret virtute praecipuo juris patrocinio adjuvati ordinis equestris quam robore excitatae nimioque contra nobilitatem odio aestuantis illius plebis, quae secundo Marte perturbati jam ordinis vires subruere et frangere incipiebat⁵⁾. Tanto qui operi sufficiat, ante omnia sibi ipsum imperare posse oportet. Electoribus igitur id considerandum erat, ne ejus qui regiam dignitatem peteret animus subitis affectibus valde perculi, nec facile consternari posset, neve leviter eas negligeret, aut in rebus gerendis quidquam libidinibus tribueret,

³⁾ Pastor. Hist. Pol. pl. p. 159 — 191. cf. Lelewel, Considerations etc. §. 134 — 147.

⁴⁾ Kochowski, Clim. I. pg. 68 — 70. cf. Krasinski, Historical sketch of the rise etc. of the reform. in Poland. T. II. chapt. XI. XII.

⁵⁾ „Hostes (sc. Cosaci) ulterius castra producunt, universam plebem, non Russorum tantum, sed et Catholicorum sibi associando et promittendo se omnes Nobiles extirpatorios, ut quisque in eis, quae sibi propria industria acquirat, dominetur.“ (Grondski pg. 80.) cf. Pamiętniki Albr. Stan. Radziwiłła ed. Raczyński. Pozn. 1839. T. II. pg. 351. Kochowski, Climacter I. pg. 244. 245. Rudawski, Annalium Poloniae a morte Vladislai IV. ad pacem Oliviensem usque libr. IX. ed. Laurentius Mizlerus. Vars. et Lips. 1755. pg. 75. Grabowski (Ambr.), Ojczyście wspominki. T. I. pg. 85 — 88.

sed ut auctoritatem, dignitatem, munus atque officium vitae respiceret, tanliquo esset acuminis, ut cognoscere posset elementa inter se certantia, perspicere, quemadmodum essent implicita, denique elicere ex iis quandam veluti harmoniam sciret. Natura ejus prorsus omnino debebat esse constans, habitus facilis suavisque, gravis, humanus, plenus fiducia, ut noxius et laesus, potens et impotens eodem jure justitia ejus confidere possent. Tali ingenio praeditus rex auctoritatem sibi parare poterat, cujus opera ultionis exigendae cupida plebs⁶⁾ multisque et diuturnis abusibus excitata leniretur ac nobilitatis superbia et insolentia si non prorsus frangeretur, certe mitigaretur. Considerantes paulo accuratius diligentiusque, quam atrox tum fuerit in Europa inter aulam Gallicam et Austriacam aemulatio, quae etiam in hac Republica maxime exercebatur, negare non possumus, Polonorum regem non nisi cum creari oportuisse, qui a rebus publicis non abhorrens, populi commodo nihil neglecto et institutorum Reipublicae natura populi que, imperium ad ipsum deferentis ingenio cognito, mores ac consuetudines nationis proprios diligeret et coleret. Is enim unus idoneus fuit, qui mediator non sectator duarum illarum partium fieret.

Quaeritur nunc num Poloni ipsi munus succedentis regis idem intellexerint?

⁶⁾ Grondski pg. 33. „Cum maximo gemitu exspectabant (sc. Cosaci) excutiendi jugi istius occasionem, quam postmodum oblatam non neglexerunt; sed ambabus, ut ajunt, manibus illam arripuerunt“ cf. ibid. pg. 47. — Piasecki, „Cosacos et rusticos pro eorum religione et libertate ad rebellionem concitaverunt.“ — Kochowski Clim. I. pg. 57. „Namque seu Lechici nominis odio, seu praegustata licentia, omnis multitudo agrestium unius Herdonii (sc. Chmielnicki) partes sequebantur“ etc. Pastorius, Hist. P. pl. lib. II. pg. 100, 101, 104, 105, 163, 167, 171, 175, 187: „Dato itaque laborum periculorumque interstitio,“ (de obsidione Zamoscii a Cosacis agitur) „plebs illa direptionibus incendiisque circumjectorum pagorum delicias sibi facere jussa est.“ cf. ibid. pg. 188, 191. Grondski pag. 81.

Responsum ad id deducendum esse putarim ex actis comitiorum et convocationis et electionis; sed nihilominus id responsum inesse in „Pactis Conventis,“ quae Joanni Casimiro juranda sunt proposita, licet contendere. Ex quibus Joannis Casimiri pactis videor mihi argumentari Rempublicam periculi magnitudinem, quod sibi tunc imminebat, non modo intellexisse; sed etiam, quod majoris est momenti, novo regi rectam ostendisse viam, qua tempestatem illam depelleret, caventem, ut Joannes Casimirus in controversiis de religione inter Catholicos et Dissidentes ortis pacem conciliaret, „laccessitos vero homines religionis Graecae per Deputatos quum ex senatu, tum ex ordine equestri quam celerrime leniret,“ „ut in Russiam Sueciamque quam celeriter legatos mitteret, qui controversias cum his civitatibus hactenus non sublatas derimerent,“ „ne alienigenas muneribus fungi sineret,“ „denique ne uxor ejus nullis aliis quam ex indigenis delectis sese circumdaret ?).“ —

Fuitne Joannes Casimirus vir, qualem Respublica tunc exigebat?

?) Vide „Pacta conventa“ Joannis Casimiri in Vol. Leg. IV. fol. 193—197 [Opus hoc inscribitur: „Leges, Statuta, Constitutiones, Privilegia Regni Poloniae Magni Duc. Lith. omniumque provinciarum annexarum a comitiis Visliciae An. 1347 celebratis usque ad ultima Regni comitia Vars. 1732“ sqq. (usque ad an. 1547. latin. deinde polon.) vulgo Volumina Legum appellatum, et a me ita citatur]. — „Pacta Conventa“ quam auctoritatem iis tribuimus, habuerint necne accuratioribus rationibus atque argumentis confirmandum nobis erit; nam vulgo (cf. Pacta Conventa Augusti II. commentario perpetuo illustrata a Godofr. Lengnich. Lips. 1736 fol.) „Pacta conventa“ considerantur conditio atque pactio inter nobilitatem et regem electum privatis tantum equestri ordinis commodis inservientes, quibus subscriptis juratisque corona a nobilitate emi poterat. Etiamsi ne nos quidem fugiat, „Pacta conventa“ quo magis ab initiis suis removerentur flagitioso illo privati commodi respectu contaminata esse, nihilominus tamen contendere liceat, significationem illam „Pactorum Conventorum“ minime esse veram atque propriam. Quamquam jam Ludovicus coronam filiae suae tutam reddere studens an.

Joanni Casimiro et privato et regi multa fuerunt vitia et si naturam ejus cognoscere volumus, duos veluti homines in eo

1374 animos nobilitatis ad id convertit, eam hoc modo a regibus maxima posse nancisci commoda (Naruszewicz, *Histor. narodu polsk.* T. X. p. 42.—59), res tamen privatae primum in Michaelis Wisniewiczii *Pactis Conventis* (Vol. leg. V. init.) reperiuntur. Polonos enim privata commoda occasione Pactorum Conventorum sibi parare indecorum flagitiosumque duxisse, docet nos Heidensteinus l. c. pg. 35]. Illam significationem quam explicandam nobis proposuerimus, facere non possum, quin primum iis repugnem, qui „Pacta conventa“ „externum fetum“ condemnant, iisque naturam monarchicam vindicant (Przegląd poznański an. 1847. Septbr. pg. 477). Error, in quo illi versari mihi videntur, natus est ex comparatis inter se Polonorum „Pactis Conventis“, Britannorum „Magna Charta“, Imperatorum Germaniae „Capitulationibus“, quae omnia inter se similia nullo modo eadem natura atque auctoritate sunt praedita. Nam „Magna Charta“ fuit summa juris Britannorum, quae nec subito aut interregni occasione est inventa, nec ab electis regibus nec ab ordinibus unquam post aucta vel mutata, sed naturali rerum progressu munita, atque acerrimo certamine, quod inter regem ac severius coercitos Optimates exarsit, est sancita non in optimatum modo sed etiam totius populi favorem. „Magna Charta“ fuit veluti compendium juris Britannorum, cujus firma stabilisque ratio monarchicam naturam ipsi conciliaverat, ut proinde firmissimum Britannorum libertatis fundamentum existeret. „Pacta conventa“ autem fuerunt institutum, quo ea, quae, firmis nondum omnino publicis juribus consuetudine auctoritatem quam maximam in gerenda Republica obtinuerant, jura sunt facta consensu regum, qui, incerto successionis jure, liberis suis regiam dignitatem tutam reddere studuerunt. (Cf. Privilegium Ludovici regis ann. 1374 in Volum. leg. I. fol. 55. Privileg. Vladislai Jagellonis ann. 1442 (ibid. fol. 82), et ann. 1433 (ibid. fol. 89)). Sed non acquieverunt in juribus tantum majores nostri, qui, occasione novi regis eligendi instituto Pactorum Conventorum nisi, si quam necessitatem temporum rationes defexerant, in electione „Pactis Conventis“ ordinarunt, veluti instructionem novo regi daturi. Quae ratio ademit illi instituto stabilitatem constantiamque, quae fundamentum verae libertatis fieri posset, docuitque Poloniam regem habere, qui „regnat sed non imperat“ (Vide Orationem quam ultimam Jo. Zamoscus in comitiis ann. 1605 celebratis habuit, apud Joach. Lelewelum, *Histoire de Pologne.* Paris et Lille 1844. T. I. pg. 152. not. 52. sub fin.). —

distinguiamus oportet: fanaticum, qui varias semper imagines
visaque sibi fingens somniabat consiliaque struebat, — et idio-

Diligenter naturam „Pactorum Conventorum“ investigantes, animadvertere cogimur, eos, qui periculosa comparatione inter similes res instituta verum illustrare studere, fugisse, quod tali argumentatione utentibus fuisset commemorandum, „Pacta Conventa“ tribus actis constare, sc. a) „Pactis Conventis“ qui proprie ita appellantur; b) „Juramento régis“; c) „Confirmatione jurium nobilitatis.“ Quae tria acta omnino in Voluminibus Legum sejunguntur distinguunturque, quamquam in ipsa „Pactorum Conventorum“ stipulatione singulis articulis commemorata inveniuntur. (Vide Pacta Conventa Henrici in Vol. Leg. II. fol. 859 — 862; Juramentum ibid. fol. 862—864; Confirmation. jurium ibid. fol. 864—867. — Pacta Conventa Steph. Bathor. ibid. fol. 894 — 806; Juramentum ibid. fol. 892—894; Confirmation. jurium ibid. fol. 911—915. — Pacta Conventa Sigismundi III. ibid. fol. 1096 — 1201; Juramentum ibid. fol. 1095. 1096; Confirmation. jurium ibid. fol. 1201—1204. — Pacta Conventa Joann. Casim. Vol. Leg. IV. fol. 193—197; Juramentum ibid. fol. 258. 259; Confirmation. jurium ibid. fol. 259—264.). Consideraturo cuivis ea acta patebit solam „Confirmationem jurium“ cum „Magna Charta“ comparari posse. Quae vero jura, quantum ad „Pacta Conventa“ pertinent, componuntur privilegiis jam supra memoratis régum: Ludovici (1374), Vladislai Jagellonis (a. 1422 et 1433), deinde privilegiis Casimiri Jagellonis a. 1470 (Vol. Leg. I. fol. 225), Alexandri a. 1505 (Vol. Leg. I. fol. 355), postea identidem confirmatis, donec „Pacta Conventa“ existerent. „Pacta Conventa“ autem primum Henrico juranda confirmandaque proposita initium ducunt a duobus decretis Sigismundi I., quibus successionem Sigismundi Augusti filii tutam reddere studuit. Anno 1530, decrevit Sigismundus I. (Vol. Leg. I. fol. 496): „filium et successorem nostrum tenore praesentium obligamus, videlicet, quod jurare debet omnia jura, libertates, privilegia etc. servare . . . et omnia illicite ab eodem regno alienata aut distracta pro posse suo ad proprietatem ejusdem Regni aggregare, terminos etiam ipsius regni Poloniae non minuere, sed pro posse suo dilatare et defendere.“ (Eadem vide in Pactis Henrici Vol. leg. II. fol. 860 art. 2.; Stephani Bathor. Vol. leg. II. fol. 895 art. 2.; Sigismundi III. ibid. fol. 1098, art. 2. quamquam non iisdem verbis, sed ad diversum rerum statum accommodata). „Et quamdiu“ — pergit Sigismundus I. — „hoc juramentum Mtas sua (sc. Sig. Aug.) non praestiterit, et huic debito regio non satisfecerit, ipsi universi regnicolae nostri ad tradendam illi possessionem et Dominium Regni et ad servan-

tam mollem morosumque, qui agebat. Quam ob rem nec princeps nec miles nec Jesuita loco, quo versabatur, dignum se

dum juramentum et ad praestandam fidelitatem et obedientiam suam, ejus Mti non erunt adstricti.“ (Confirmationem hujus decreti anno 1538 factam vide in Vol. Leg. I. fol. 515). — Ex iis quae attulimus con-
jici posset, „Pacta Conventa“ hanc vim auctoritatemque habuisse, quae „Capitulationibus“ Imperatorum Germaniae inhaerebant; sed comparatis inter se „Capitulationibus“ (cf. J. A. Rieger, harmonische Wahlcapitulation K. Josephs II. 1781. 82. 2 T.) et „Pactis Conventis“ manifestum erit, opinionem eam minime esse veram, nam „Capitulationes“, quas Imperatores jurare cogebantur non tam singularia respiciebant, quam Polonorum „Pacta Conventa.“ „Capitulationes“ erant potius munimenta auctoritatis principum contra imperatorum auctoritatem; „Pacta Conventa“ vero institutum quoddam Reipublicae, „cujus incolae aequae liberi, aequae regunt ac reguntur“ (Fredro, Gestor. in Pol. sub Henrico Valesio. ed. Dant. 1652 pag. 83), institutum, inquam, quod omnes cives reipublicae contra libidines regiae potestatis tuebatur, neque solum ea continebat, quae rex, nisi pejerare vellet, facere velitus erat, sed etiam monstrabat quae electus rex facere obstrictus esset, ut praesentibus reipublicae necessitatibus succurreret (cf. Stan. Orichovii Annales Polon. ed. Dant. 1643 pag. 30—34. Andr. Max. Fredro, Scriptorum seu togae et belli notationum fragmenta, Dant. 1660 pg. 47. monit. 23.), e. gr. ut classem necessariam et sufficientem ad tuendos portus et dominium maris ditionis Regni et Provinciarum adjacentium . . . aleret, quam etiam ita institueret, ut res et necessitas suadebit . . . Cujus classis magnum usum fore . . . ad impediendam Narvicam navigationem, siye etiam illum portum acquirendum“ (Pacta Conv. Henrici I. c. art. 3.); „ut Academiam Cracoviensem ad meliorem frugem rei litterariae reduceret, evocatis et deductis eo undecunque doctissimis viris in qualibet professione et facultate litteraria, excellentiss. Professoribus, quos ibidem in Academia Cracoviensi stipendiis suis alet ac retinebit perpetuo“ (ibid. art. 7.). „Polli-
cetur (sc. Steph. Bathor.) se confestim recuperaturum esse, quidquid Moschus occupavit“ (Pacta Conv. Steph. Bath. I. c. fol. 895). „Classem a rebus omnibus instructam usibus Regni Poloniae et M. D. Lith. sua impensa adhibebit, nec pro necessitate Regni Poloniae et Magni Duc. Lith. rem mari gerere intermittet.“ (Pacta Conv. Sigism. III. I. c. fol. 1098. art. 3.) „Tormentoribus bellicorum vim non exiguam, necessitatibus Regni Poloniae et Magni Duc. Lith. exigentibus, maxime autem si aliquando vel Novogardiam vel Plescoviam vel Smolensciam oppugnare

praebuit, ac velut si infima in terra nullus ei esset locus idoneus, summo solio impositus est, ubi nemini satisfacit, neque iis, qui amici ejus esse videbantur, verecundiam, neque iis, qui cum eo certabant, metum injecit. Ex inopia quadam aequilibril inter animi et corporis vires, atque ex levitate quadam, quam vel provecata aetate illius regis conspiciamus, officium nobis existit, accuratius inquirere quid de viro statuendum sit, qui, quacunque ex parte eum consideravimus, debilem, obtusum, angustum se praestitit; imbecillitas enim erroresque generis humani tantum modo oblivioni dari possunt, quantum respublica ex iis nihil capiat detrimenti!

visum fuerit, omnia ad eam rem quum tormenta, tum pulveres atque globos necessarios e Regno Sueciae suis sumptibus suppeditabit“ (Ibid. art. 7.). „Quinque arces in finibus locis opportunis ex arbitrio ordinum exstruet rebusque necessariis suo sumptu providebit“ (Ibid. art. 10). „Scholam equestrem Leopoli condet,“ „Castella Camenecensia perficiet,“ „Quatuor Castella in Ukraina exstruet,“ „Puzigum, urbem in Borussia situm muniet,“ „Emendandas leges curabit“ etc. (Pacta Conv. Vlad. IV. Vol. Leg. III. fol. 762 — 768). Quam ob rem errare mihi non videor contendens, „Pacta Conventa“ fuisse veluti programma, quomodo respublica a novo rege gubernari vellet significans, vadium, novum regem, ingenium Reipublicae instituta publica observantem imperaturum esse, — „remedium, quo solo apud Polonos emendabantur defectus, qui in vita regnantium tangi non possent.“ (Instructio nuntiis ad Comitata an. 1661 data in Diario Europaeo. T. XIII. App. pars III. pg. 85). Quem ad finem ostendebatur quoque in „Pactis Conventis“ electo regi status, quo tunc versabatur Respublica, et si Rex necessitatibus, quibus Respublica tunc laboraret, se succursurum esse, „non juraret non regnaret.“ Quibus ex omnibus patere speramus, illam quaestionem: „an Poloni munus novi regis idem intellexerint?“ si ulla alia re, certissime „Pactis conventis“ demonstrari posse, praesertim, quum, quae a scriptoribus illius temporis (Pastorio, Kochowskio, Rudawskio etc.) commemorantur eum ad finem spectent. Si mihi oppositum fuerit, Pacta Joannis Casimiri et antecessoris ejus Vladislai IV. paucis inter se differre, respondeamus oportet, illis paucis (supra jam ea citavimus) clarissime ostendi Rempublicam „Pactis Conventis“ ea spectasse, quae diximus. —

Joannes Casimirus natus est Cracoviae a. d. XI. Kal. April. a 1609,⁸⁾ matre Constantia, principissa Habsburgica, patre Sigismundo III. e gente Vasarum Sueciae regum. In litteris, quibus a Jesuitis erudiebatur, magnos — si Wassenburgo fides est danda — fecisse fertur progressus. Anno aetatis vicesimo cum patre contra Succos stipendia meruit; postea fratrem suum, Vladislaum IV. regem, in expeditionem Moscoviticam secutus est; nec tamen patiens castrorum molestias, neque ullo rei militaris studio incensus, Leopolim „aegrotus“ rediit. Ubi convaluit, Vladislaus „animi relaxandi causa“ avunculum suum Ferdinandum II. Imperatorem visere ei permisit. Forte id fuit post proelium apud Noerdingam commissum (a. d. XVI. Kal. Octob. a. 1634) quum Austriaci cum Suecis Gallisque ancipiti Marte pugnabant, Juvenis princeps cum legione Lautersheimii, honoris et praesidii causa ipsi tradita, excursionibus contra Gallos se immiscuit ubi fugiens appropinquantem Merolem, Gallorum ducem, per aquas Mosellae fluminis „vitam prope, argentum et insignia amiserat⁹⁾. Sequenti verum auctumno in Poloniam reversus Vindobonam rursus missus est, ut nomine Vladislai IV. Caeciliam Renatam, archiducem Austriacam, in matrimonium duceret, quacum, perfecto nuptiarum ritu procuratoris opera, Varsoviam rediit. Joannes Casimirus vero tantum abfuit, ut, quum nullam Reipublicae causam curaret, nova delectaretur aula ut Varsoviae pertaesus statueret itineribus per Europam faciendis gaudium sibi parare. Attamen mox cognovit, ne iis quidem se delectari, quum haec voluntas orta in ipso esset non quod de utilitate itineris ei persuasum fuisset, sed quod temporis molestiae eum pressissent.

⁸⁾ Serenissimi Joannis Casimiri carcer Gallicus ab Ernest. Wassenburgio conscriptus. Ged. 1644. Załuski: epistolae histor. fam. T. I. p. 53. Joannem Casimirum a. d. XII. kal. April. natum esse dicit.

⁹⁾ Wassenburg, l. c.

„Animi causa“ dicit Piasecius¹⁰⁾, in Hispaniam se contulit, sed errans per Europam inter occasum brumalem et meridiem sitam miraque consilia quaedam struens a Gallis captus est (a. 1638)¹¹⁾. Per multos post atque injucundissimos labores conatusque fratris e carcere tandem emissus ex Gallia in Poloniam duobus post annis rediit; nequaquam imbecillitate animi sanata aut experientia notitiave hominum eorumque morum aucta. Literarum amore fere omnino non tenebatur Joannes Casimirus et tantum sese dedit studiis artibusque, quantum ei in societate, qua versabatur, necessaria erant; satisfacere ei aut animi tranquillitatem reddere nullo modo poterant. „Joannes Casimirus totam per vitam ne unum quidem librum perlegit“;¹²⁾ irritabilis animus ejus magis magisque labi, deficere et frangi videbatur¹³⁾. Ac per brevi cum rursus fratris aulae splendorumque Varsoviensium, quibus fastidiose intererat, sollemnitatum pertaesus est. Illa „melancholia“ quaedam, aegritudo, quae ante commemorata jam excursionem contrahere coeperat; vires corporis quassatae, pericula inopiam sequentia taedium quoddam non tam mundi, quam potius voluptatum ejus in irritabili animo excitarent. Vexatus igitur animi perturbatione non satis consideravit utrum miles an sacerdos fieret ac consilio necopinato et cum omnibus, quae antea gesserat, minime congruente capto, imagi-

¹⁰⁾ Piasecki: Chronica gestorum in Europa singul. p. 503.

¹¹⁾ Wassenburg l. c. Galli jam diu „ardentem factionis Hispaniensis tutelam de principe Casimiro aegre ferebant“ (cf. epistolam Josephi d'Avoux legati Gallici apud aulam Polonicam d. d. Paris. 8. Octob. a. 1635. K. Siemkiewicz: Skarbiec historyi pols. T. I. p. 149.) Rischeilius optimum in modum Vladislaum ab amicitia cum Austria ita disjuncturum se esse arbitrabatur. cf. Marolles: Mémoires ed. Amsterd. 1755. T. I. p. 300.

¹²⁾ Literae secretarii Mariae Ludovicae (d. d. ex castris apud Thornum 1. mens. Octobr. 1658. Portofolio Maryi Ludwiki ed. Raczynski T. II. p. 182) de Noyers.

¹³⁾ Caillet l. c. p. 358.

nam quondam felicitatis sectans Poloniam ei fratrem aegrotum relinquit, in Italiam se confert, celebre templum Loretanum visitat et inde Romam veniens, „ad agendam vitam quietam in religione Societatis Iesu secessit“ (a. 1643)¹⁴⁾. Necopinatum id consilium principis Casimiri Vladislaum magno dolore afflixit et odium in eo contra totum Jesuitarum ordinem movit¹⁵⁾. Omnia ejus studia deducendi fratris de sententia Vasarum domui perniciosissima ad irritum redacta esse apparuit; neque enim Joannes Casimirus animi affectationibus non satisfacere poterat. Et jam tirocinium monasticum duorum annorum absolverat, jamque rex ordinem monachicum fratris probare videbatur, quum a. 1645 legatus quidam principis ex Italia advenit, relaturus, consilio mutato Casimirum principem a papa dignitate cardinali ornatum, a rege ejus rei auctoritatem petere.“ Haec fuit prima vox non tam

¹⁴⁾ Piasecki, Chronica gestor. in Europa singul. pgi. 503. Dilucide de eo scripsit Batowski (Pamiętnik literacki, Pismo tygodniowe, ed. Dr. J. Szlachtowski. Leop. 1850. Ann. I. Nr. 5 et 6), postquam in bibliotheca Ossoliniana non nota adhuc et gravia documenta ad hanc rem pertinentia invenit.

¹⁵⁾ Vide partem 6tam dissertationis, quae sub titulo: „Epistolae de arte regnandi et administrandi in Polonia“ invenitur in scriptis „Przegląd pozn.“ T. IX. Ann. 1849, pg. 50. nota 545. Vladislaus (d.d. Vilnae 2. Febr. 1644) Joanni Casimiro haec scribit: „Proszę W Msci dla Boga, abyś się niekwapił, i owszem uważał, co za krzywdę w tém czynisz rodzicowi swemu, który nas na podpore domu swego wychował, nie dla tych szalbierzów, którzy wszystkim światem, a pono i niebem łudzą“ etc.). Idem testatur St. Albr. Radziwiłł in historia, quam de rebus gestis Sigismundi III, Vladislai IV. et Joannis Casimirii usque ad ann. 1654 conscripsit, et quae adhuc M. S. in bibliotheca Kornicensi Palatinidis T. Działynski asservatur, fol. 246: „Nuntium hisce diebus delatum ad regem nimirum principem Casimirum Loreti habitum societatis Jesu suscepisse, graviter indoluit Rex nec ad conspectum visitatorem Ordinis Bamphilium ullo modo admisit et arcano latentem pectore lacrimis testatus dolorem, immo prohibuerat, ne ullus e societate nisi vocatus aulam Regis ingrederetur.“ etc. Jesuitae, qui tunc in aula versabantur „Italos esse culpandos“ dictitabant. ibid.

cupiditalis in principe nascentis, quam desiderii vitae rebus humanis inservientis. Nec insignibus dignitatis cardinalis sed equestris exornatus sub finem a. 1646 in Poloniam est reversus¹⁶⁾.

Fratre mortuo omnium antea factorum oblitus, Joannes Casimirus nimis coronam Polonicam appetebat et aulae Gallicae¹⁷⁾ artificiiis adjutus ad gubernacula Reipublicae accessit, — quin etiam rex factus nihil fecit priusquam vitae sociam sibi adjungeret, nec, quum Mazarini artibus motus fratris uxorem Mariam Ludovicam ex Gonzagarum gente, nondum per annum viduam in matrimonium duxisset¹⁸⁾, quidquam aggredi ausus est, quod ab ea non probaretur¹⁹⁾. Credideris, ultimis his rebus, inprimis quae narrata hucusque in vita Casimiri secutae sunt, omnes expleri potuisse vota, quae in mirabili hominum natura nasci possint; attamen paullo post apparuit, Joanni Casimiro ipsam coronam molestam esse incepisse, matrimonium autem cum fratris uxore, quamquam papae venia junctum, supersticiosum ejus animum agitare²⁰⁾.

Rebus ita comparatis minime semet ipsum noscens Joannes

¹⁶⁾ Batowski l. c.

¹⁷⁾ Kochowski I. p. 71—80. Chanut I. p. 308. 310. cf. 343. 348. 368. 369.

¹⁸⁾ Chanut I. 304. Christina, regina Suecorum, diu haerebat, quem in electione adjuvaret, „que le bruit courait par tout en Suède, que le Vicomte d'Arpajon et le Comte de Bregy“ (legatus Gallicus apud aulam Polonicam) „commençaient d'être suspects à la Republ. parce que le sieur de Bregy avoit veu la Reine de Pologne incognito à Varsovie incontinent après la mort du Roi, et que la France vouloit sans doute procurer au Prince Casimir une Couronne et une Femme“. cf. Rudawski: Annalium Poloniae a morte Vlad. IV. usque ad pacem Oliviensem libri IX. libri I. cap. 6. p. 24. — Pastorius: Hist. Pol. p. 216. — Zająuski: epistolae histor. fam. T. I. p. 150.

¹⁹⁾ Rudawski p. 358: „Haec Electrix“ (Conjux Friderici Guilelmi magni electoris) „Reginae“ (sc. Mariae Ludovicae) „secreto proponebat, illa vero Polono Regi, qui uxoris mandata exequatur“. cf. p. 398. — Caillet l. c. — Kochowski passim etc. — Pufendorf IX. 89.

²⁰⁾ Pufendorf IX. 86.

Casimirus ingenuitate illa homines allicere minime omnium poterat, quam populus noster in clarissimis praestantissimisque viris maxime colit, veneratur et diligit; inde etiam evenit, ut illa quaedam Ex-Jesuitae regis perversitas suspicionem nobilitatis semper de „aureis privilegiis“ timentis valde laceraret. Animadvertentibus praeterea nobis, Joannem Casimirum jam diu patriae taeduisse eamque toties reliquisse, nullo terrae, in qua natus et educatus fuisset, nullo morum consuetudinumque populi, cujus rex esset, amore retento²¹⁾, mirum videri nequit, Joannem Casimirum, a populo ejusque rebus alienum²²⁾ aversumque, mox alienigenam tantummodo habitum et honoratum esse. Neque unquam officia regis cognoscere nisus ea postea, quum ipsa eum premeret coepissent, anxio quodam metu fugit²³⁾, ita ut universus fere populus pavore percussus esset, et Joannes Casimirus sedens in solio

²¹⁾ Kochowski I. p. 46. 47. 155: „Leopoli abiturus rex posita externi cultus germanicum in morem veste, qua ab ineunte aetate usus nostratam habitum induit. Laetum id adpectu Polonis et in majus interpretatione affectus Regnantis (nisi mox incesseret fastidium) acceptum; dum non in regimen modo gentis, sed in mores quoque et amictum popularem regem suum immigrasse gaudent“. cf. Grondski, Historia belli Cosacco-Polonici ed. Car. Koppi. Pestini 1789. pg. 85. 86. cf. Jędrz. Moraczewski: Dzieje Rzeczyp. pol. T. VIII. pg. 537.

²²⁾ Relatio Joannis Tiepolo an. 1646 apud Niemcewicz: Zbiór pam. o dawněj Polsce T. V. p. 31 et 32.: „Princeps Casimirus . . . est prodigus, omnia quae patre mortuo acceperat in Gallia et Germania profudit; — non amatur a Polonis quia minus est familiaris et patriam non amat.“ — Caillet l. c. pg. 358.: „Profecta jam satis aetate coronam accepit, antea vero minime rebus publicis sese applicuit, et tam valde otiosae vitae assuescit, ut regno nacto statim apparuit, labores officiaque regnandi aliena difficiliaque ipsi esse.“ cf. Pamiętnik Jana Chryzostoma Paska ed. Raczyński p. 192. 193, — Portofolio Maryi Ludw. T. I. pg. 152.

²³⁾ cf. Epistolam Joannis Casimiri d. Januar. a. 1656 ad primum apud Ambr. Grabowski, Ojezyste spominki. T. II. pg. 93. 94.

prius desiisset dominari, quam regnum in populis manus deposuisset!

Nunquam nec ulli regi melior oblata est occasio prudenter refrenandi nobilitatis lasciviam, nunquam antea nobilitas magis se esse paratam ostendit ad relinquenda non tam privilegia quam abusus consuetudine sancitos, qui nationis opes comminuerunt, quam ipso Joannis Casimiri tempore²⁴⁾; nec vero unquam quisquam in Polonia regnaverat, qui ordinem illum equestrem nescio an tuhe modo generosissimum, tanlo pere a sese aballasset, quantopere ipse Joannes Casimirus. Quoties enim idem rex Republicae salutem suam, externorum consilia, blanditias praeferebat? Num igitur mirum, istam coronam in capite ejus positam omnem apud cives perdidisse dignitatem omnemque apud finitimas civitates auctoritatem?!

Nihilosecius aequales narrant, Joannem Casimirum, quamquam regem liberi populi se gerere nesciebat, „regem tamen videri potuisse, nam habitum ejus suavem fuisse, ipsum loquendi peritum, modo id vultu prae se ferre voluisset, sed ingenio fuisse tam mediocri, nihil ut suscipere potuisset“²⁵⁾ „Neque unquam vir fuit, qui magis mulieres amasset, nihilominus omnes ei favent, nec quis unquam inconstantior eo, quod tamen nullam satis monuit, ut cautior sit.“²⁶⁾ „In aedibus ejus nihil aliud disputatur, nisi de libris sacris, isque est sermo quotidianus“²⁷⁾. „Semper quinque aut sex Jesuitas secum ducebat, quos inter se dissidentes singulos habitare

²⁴⁾ Vide Epistolam Primatis ad regem et regis ad Primatem apud Ambr. Grabowski l. c. p. 84—95. cf. Literas Secretarii Mariae Ludovicae de Noyers in Portofolio Mar. Ludw. ed. Baczyński T. I. pg. 239. 240. 299. T. II. 119.

²⁵⁾ Noyers in epistola d. d. Castra apud Thorunum 10 Octobr. a. 1668 in Portofolio Mariae Ludovicae T. II. p. 181. 182.

²⁶⁾ Idem pg. 182.

²⁷⁾ Idem pg. 182. 183.

oportuit.“²⁸⁾ „Religioso studio Joannes Casimirus saepe confitebatur, quod tamen nihil profuit“; ex pia autem consuetudine sua, „matris Dei imaginem, quae mirifica fuisse traditur, ubique et semper secum portabat et coram ea, si nulla prope fuerat ecclesia, in atrio suo sacris operari, quamquam iis nunquam interfuit, sacerdotes jubebat.“²⁹⁾ — Fovens igitur pectore miram hanc pietatem plura fingebat, quae animum ejus levem et versatilem adeo excitarent, ut primo quovis impulsu occupatus liberare eo se non posset, etiam si causa eum proferens falsa inventa fuisset³⁰⁾.

Joannes Casimirus nec satis virium nec constantiae habuit ad exequendum magnum ullum consilium seu bonum seu malum³¹⁾: „quaecunque suscipiebat quam celerrime ad finem perducere conatus est, nam omnis mora et incertus rerum exitus vexabat eum et a persequendo consilio revocabat³²⁾, quod ei demum ingratum et molestum fiebat.“ Inde factum est, ut in omnibus, quae gessit, nec vinculum, nec ratio ulla, nec constantia conspiceretur: omnia ejus facta sunt repentina quaedam, quae irritabili naturae ejus fortuitu debebantur, — sunt quasi ingenii debilis signa, quod summo in gradu constitutum dominari oportuit. Inconstantia quaedam ejus perfecit, ut eosdem homines modo castigare, modo rursus diligere iisque prorsus confidere, modo eos suspectos habere, beneficiis afficere et odisse posset, ipse ignarus causae, cur id faceret³³⁾. Pro odio aut favore hominum, quorum consiliis semper utebatur, Joannes Casimirus irasci iisque

²⁸⁾ Idem pg. 183.

²⁹⁾ Idem pg. 183.

³⁰⁾ Idem pg. 183.

³¹⁾ Rudawski l. c. p. 202: „Poloni regis damnabat (Chmielnicki) consilia fortassis et ignaviam“ cf. ibid. p. 203.

³²⁾ Caillet l. c. p. 359.

³³⁾ Chanut l. 308.

mox ignoscere vel eos adamare potuit³⁴). „Nulla ei erat cura, utrum commodum aut detrimentum cepisset, dum solitis modo voluptatibus indulgeret³⁵).“

Ac quae fuerunt istae voluptates?

Joannes Casimirus „pumilionibus ludebat, quos catullorum loco habuit, alebat aves ac simias“ et irritabat animum astrologorum praesagiis. „Solitudinem etiam diligens lubentissime semper versabatur in familiaribus, quibus omnibus erat quaedam cum eo similitudo, i. e. quibus nullum omnino erat ingenii acumen³⁶).“

Itaque Joannes Casimirus iis virtutibus animi carens, quas conditio ejus exposcebat, fractus corpore per laelissimum vitae tempus, nec liberorum nec populi, a quo rex erat creatus, pater exstitit. Tumultus quidem, incursiones, proditiones, civilia externaque bella expertus est iisque non omnino succubuit, attamen neque in populo concordiae amorem incitare, nec se ipsum amatum aut aestimatum reddere potuit; ne multa: miles, Jesuita, Cardinalis, rex, exul, propheta, ex-rex, antistes locupletis monasterii, senex septuaginta annorum adhuc amoribus deditus hoc quasi tragico vitae cursu veram concitare misericordiam poterat apud homines procul eum considerantes; ubi autem accuratius tragicam hanc vitam contemplamur, inconstantia ejus indignatione quadam nos implet et quum in ea habitum illum plasticum, quo demum tragica ista magna et gravia adeo redduntur, non animadvertamus; — quum in ea fatalem hanc necessitatem, cui singulorum hominum

³⁴) Kochowski (Climacter III. lib. V p. 212) ignoti cujusdam nobis scriptum tradidit, quo inconstans Joannis Casimiri ingenium optime est descriptum, quod nobis est majoris momenti, quia ignotus aulae erat addictus: „nimia Regis facilitas, qui in semel impressis affectibus perseverans, ex alieno nutu irascitur, vel veteris benevolentiae obliviosus, indignari pergit.“

³⁵) Noyers l. c. p. 183.

³⁶) Noyers l. c. p. 182. 183. cf. 198. Notus est praeterea Żórawski, astrologus Joannis Casimiri. Kochowski Clim. II. —

vires sufficere nequeant, non perspiciamus, ne Joannem Casimirum quidem aetatis suae magnum virum agnoscimus, sed hominem habemus ingenii levis et lascivi, qui cum populi detrimento libidinibus suis satisfaceret. Mimus autem vitae ejus, quamquam varietate abundans, nec animum cogitantem delectabit, nec sentientem laelitia afficiet, nam nimio redemptus est pretio. Praeterea ipsa Joannis Casimiri pietas nulla fuisse apparebit critice rem examinanti, nam qui levem agens vitam omnes modo pii hominis consuetudines exsequitur, modo facta sua minime curat; — qui fidem datam nulla ratione fallit; — qui semper ad jusjurandum paratus est ac publice dati obliviscitur³⁷⁾; — qui promissa, ut ita dicam, tolerantia regnum sibi parare non dubitat³⁸⁾ idemque postea crudelibus decretis dissidentium vitas et opes persequitur³⁹⁾; — qui ipse mirandam agens vitam miraculis irridet⁴⁰⁾, is profecto pietatem modo eludit. Sed natura humana adeo mira esse potest, ut idem, qui ore, animo, conscientia omnia vilia habet, parvos interdum errores ignoscere sibi nequeat. Huic vitio obnoxius fuit Joannes Casimirus, ideoque pietas, quam scriptores quidam in ejus natura agnosci volunt, scrupulorum potius et simulatae quam verae pietatis prae se fert notam.

Miles Joannes Casimirus interdum se praestabat audacissimum⁴¹⁾, ordinis etiam equestris gloriae studebat⁴²⁾, sed

³⁷⁾ Kochowski Clim. II. p. 106. 107. Rudawski p. 241. 242. cf. ibid. p. 203. Pufendorf, Fr. W. VII. p. 50. 56. IX. p. 19.

³⁸⁾ Sam. Pufendorf Fr. W. III. §. 27. VII. 50. VIII. 58.

³⁹⁾ Vol. Leg. IV. constit. a. 1658 et 1659. fol. 515. 585.

⁴⁰⁾ Cf. epistolam regis ad episc. Cracov. Trzebickium ap. Krajewski, Dzieje Jana Kazimierza T. II. p. 70. nota.

⁴¹⁾ Kochowski Clim. I. pg. 251. Pastorius Bellum Scythico-Cosacicum pg. 154 — 171. Rudawski pg. 77, 59. Pufendorf, Fr. W. VI. §. 37. 38. 39.

⁴²⁾ Kochowski Clim. I. pg. 251.

nec satis perseveranti nec praesenti utebatur animo, ut hanc audaciam rebus quibusdam praeclare gestis exornare, nec tanta prudentia, ut gloriae aviditatem facto quodam eximio explere posset.

Totam denique Joannis Casimiri vitam perfluantes, animadvertimus ipsi defuisse illam tranquillitatem et cognitionem suimet ipsius, quae sola homines contentos reddat. Quadam ratione ad Joannem Casimirum solita illa humilium et mediocrium hominum notatio referri posset: „egregia anima, sed ingenium hebes“ quamquam observandum est, non omnia ejus facta ad communem hanc sententiam revocari posse. Namque Joannes Casimirus eorum fuit hominum, qui irritabilibus animis optima consilia struunt, quae propter imbecillitatem animi et corporis exequi nequeunt, quin etiam inepte aggredientes pervertunt et perdunt: — fuit eorum, quibus omnia modo placent, modo displicent, qui viam semel initam non persequuntur, sed inconstantia quadam ingenii ducti devias petunt et rapti in errores, se errasse indignantur, — qui minime repugnantes in voraginem praecipitari se patiuntur, sed conspicati in quam profundam inciderint tantum audaciae non habent, ut salutem meditentur quasi exsiliant ac perpetui hujus erroris pertaesi et indignabundi retro tandem redeunt, unde erant profecti!

Talis igitur vir, qui velle tantum, non posse scivit, quum taedio quodam coronae onus, quae homines allicit, allexit et semper alliciet, capite gestaret, ambitiosa uxor ejus omnem fere auctoritatem et vim assecuta est in gerenda republica.

§. 2.

MARIA LUDOVICA.

Maria Ludovica e Gonzagarum gente, filia Catharinae de Lothringia et Caroli Gonzagae, ducis Niverni in Gallia ac Mantuae in Italia, nata est a. d. XIV. Kal. Sept. a. 1611⁴³). Natale solum gentis Gonzagae in Italia et quidem in ducatu Mantuano quaerendum est, ubi inde a saeculo XV. Gonzagarum familia imperium, ut ita dicam, tenebat⁴⁴). Unus ex tribus filiis Friderici II. Gonzagae ducis Mantuani, Ludovicus, posteriore aevi XVI. parte in Galliam se contulit atque Henricam duces Clivii ac dominam Niverni Rhetelique in matrimonium duxit⁴⁵). Quantopere Henricus IV. Niverni duci confisus sit, inde apparet, quod eum absolutionis explendae causa ad papam miserat⁴⁶). Carolus, filius ejus, patre mortuo (a. 1595) Campaniae Francogallicae gubernator nominatus, Catharinam de Lothringia in matrimonium duxit, quae tres filios totidemque filias progenuit. Filii paulo post mortui sunt, ex filiabus autem Maria Ludovica et Anna Eduardo Bavariae duci, Comiti Palatino Rhenensi, nupta domum suam clarissimam redderunt. Quo modo gens illa Gonzagarum ducatum Mantuanum occupasset, in praefatione opusculi nostri vidimus. Maria Ludovica, quae nunquam possessiones domus suae transalpinas viderat, matre (a. 1618) mature amissa⁴⁷), materterae Longueville tutelae

⁴³) Cf. epitaphium Mariae Ludovicae apud Ambr. Grabowski: *Ojczyście spominki* T. I. pg. 237.

⁴⁴) Imperator German. Sigismundus familiae Gonzagarum ducatum Mantuanum a. 1433 solemniter possidendum tradidit.

⁴⁵) *Mémoires de Marolles*, ed. Amsterdami 1755. T. II. pg. 96.

⁴⁶) *Mémoires de Mr. le duc de Nevers*. 2 vol. cf. Ranke (Paepste II.)

⁴⁷) Marolles T. I. pg. 69 et 380.

est tradita⁴⁸⁾. Non solum vinculis, quibus pater ejus cum aula jungebatur, sed etiam necessitudinibus, in quibus Longueville Parisiis vivebat, in clarissimorum hominum circulos jam mature ei fuit aditus paratus. Puella minus bona valetudine utens⁴⁹⁾ in magnificentissima tum Europae aula educabatur arguta, laeta, bonis artibus piisque exercitationibus delectata. „principissa Maria“ postea hujus aulae decus. Consuetudines moresque, quibus tum nobilissimi ordines Parisiis in societate utebantur⁵⁰⁾, excolendi ingenii a Deo Optimo Maximo large accepti multam occasionem ei faciebant. Literarii coetus apud dominam Rambouillet⁵¹⁾; quos diligenter frequentabat, Mariae facultatem praebebant versandi cum illustrissimis viris ut Richelio, Condaeo, Corneille, Bossuet, Malherbe, Balzac, La Rochefoucauld, cum feminis clarissimi ingenii ut Sevigné et multis aliis, in quibus Mariam multum valere conspiciamus. Pulchritudo ejus⁵²⁾ ducem Orleanum, Ludovici XIII. fratrem arctis tenuit vinculis, quibus a Guisorum stirpe fractis, Maria ipsa carceri est tradita⁵³⁾. At aula regia, praeclaris ejus virtutibus cognitis, consulere ei coepit jamque a. 1635 omni modo laborabat, ut eam Vladislaus IV. in matri-

⁴⁸⁾ Les Historiettes de Tallemant des Réaux 2de édit. par M. Monmerqué. Paris 1840. T. IV. pg. 180.

⁴⁹⁾ Marolles T. I. pg. 103. 106. 245. 373. 280.

⁵⁰⁾ Roederer, Mémoires pour servir à l'histoire de la société polie en France. Paris 1835. cf. Notice sur M^{me}. de la Fayette. Collect. de mémoires p. Petitot 2de. sér. T. 64. pg. 329., 599.

⁵¹⁾ Victor Cousin, La Marquise de Sablé et les salons littéraires au XVII^{me} siècle in: Revue des deux mondes XXIV. année 2de sér. de la nouvelle période. T. V. 1re livr. de l'année 1854.

⁵²⁾ Tallemant de Réaux l. c. Marolles.

⁵³⁾ Tallemant pg. 181. cf. Marolles l. pg. 303. cf. Mém. du maréch. de Bassompierre (Collect. de mém. p. Petitot 2de sér. T. 21. pg. 160. 185. 212. 244.) Mém. de Card. de Richelieu, (Petitot T. 24. pg. 182. 183. Tom. 25. pg. 11. 14. 15. T. 31. pg. 17. 87.) cf. Ranke, Franz. Gesch. T. II. pg. 372. 373. 393.

monium duceret⁵⁴); quod consilium quidem ad tempus dilatum est, quoniam Vladislaus amicitias jam diu cum Habsburgis servatas statim dirumpere non potuit. — Quam adversam fortunam Ludovicus XIII. ducatu Nivernensi in ditionem Mariae, patre mortuo (1637)⁵⁵), dato, delinire quodammodo studuit⁵⁶). Maria Ludovica abhinc modo Niverni modo Parisiis versans Cinq-Marsium, magnum comestabulum, cognovit magnoque ipsius amore affectit. Qui Cinq-Marsius sive superbiam atrocis ministri aegre ferens, sive Ludovici XIII. favorem experiens, politica quadam ratione motus, inter primos exstitit magistros artificiorum et conjurationum, quae tunc in aula Gallica adversus „tyrannidem“ Rischelii factae sunt⁵⁷). Pervigil autem Cardinalis imminentes sibi procellas feliciter evitavit, et Cinq-Marsium vita privavit. Itaque quum propter adversam fortunam, qua comprehenso Cinq-Marsio afflicta est⁵⁸), tum propter tristem illius exitum vitam aulicam per quoddam tempus cum vita dolori ac precibus dedita commutavit⁵⁹). — Errare nobis

⁵⁴) Sieńkiewicz, Skarb. hist. pol. T. I. pg. 116, 117. cf. ibid. 159. cf. Marolles I. pg. 106. 300. 301. 302.

⁵⁵) Marolles I. pg. 214.

⁵⁶) Marolles I. pg. 226. 227.

⁵⁷) Tallemant de Réaux, IV. pg. 181. cf. ibid. T. II. pg. 146. sqq. Mém. de Brienne (Petitot T. 36. pg. 68.) cf. Leop. Ranke, Fr. Gesch. T. II. p. 525.

⁵⁸) Tallemant IV. pg. 181. 182. Mém. de l'abbé Choisy (Petitot T. 63. pg. 435. sqq.)

⁵⁹) Praeterea magnam vim ad irritabilem Mariae animum habere potuit profecta Parisios exsul uxor Caroli I. Angliae regis, filia Henrici IV. cf. Grangier de la Marinière in Bibl. Warsz. an. 1851 mens. Aug. pg. 191. Praeterea Marolles I. pg. 285.: „Depuis ce temps-la (1643), Madame la Princesse Marie qui avoit toujours eu beaucoup d'inclination à la piété, se mit entierement dans la dévotion, et choisit pour cet effet des Directeurs séveres, qui lui conseillerent la retraite du grand monde, avec un retranchement de beaucoup de superfluités qui accompagnent d'ordinaire les Personnes de haute condition. C'est pourquoi elle vit beaucoup moins de Compagnies qu'elle n'avoit accoutumé, et se refermoit souvent avec de bonnes Re-

non videmur dicentes, in Mariae ingenio illam patientiam et tranquillitatem, qua omnia vitae incommoda vinceret, omnibusque periculis resisteret, illo ipso tempore esse conformatam. Animus ejus rebus asperis non modo non debilitabatur, sed potius vires, majorem virtutem ita concipiebat, ut haud multo post superbiae suae divinando blandiretur „se ad regiam sedem esse nata⁶⁰⁾.“ Et revera, post mortem (anno 1644) Caeciliae Renatae uxoris Vladislaus IV. Roncalii Itali, Episcopi Varmiensis, auxilio Mariam „comme fille de France“ in matrimonium duxit⁶¹⁾. Quum Vladislai imago ante oculos ejus posita esset, praesentium quidam joci causa obesitatem magnumque guttur futuri mariti Mariae notavit, sed animus ejus in his minutiis minime versabatur, nam Vladislai caput diademate esse ornatum sciebat⁶²⁾. Mariae Ludovicae et discessus Parisiensis et adventus in Poloniam triumpho similis fuit; sed prima salutatio Vladislai⁶³⁾ et vivendi cum eo ratio minus

ligieuses, pour être moins distraite dans ses Oraisons et vaquer aux fonctions d'une solide piété.“ cf. pg. 287. — cf. Notice sur Port-Royal (Petitot. T. 33. pg. 68, 69.)

⁶⁰⁾ Tallemant IV. pg. 182. Quum jam Parisiis proficisci vellet et ducem Orleanum salvere juberet, respondit ipsi duci prius commercium commemoranti Maria: „cela n'étoit pas résolu dans le ciel, et j'étois née pour être reine.“ Tallemant IV. pg. 183. cf. Marolles I. pg. 310. Histoire et relation du voyage de la reyne de Pologne et du retour de la maréch. de Guébriant. p. Jean le Laboureur. Paris, 1648. Mém. de Md. Motteville (Petitot. T. 37. pg. 160.)

⁶¹⁾ Pacta matrimonialia inter Vladislaum IV. Poloniae regem et Ludovicam Mariam Gonzagam, regis Galliae filiam adoptivam etc. Fontenaibl. 26. Splbr. 1645 apud Matth. Dogiel, Cod. diplomaticus regni Poloniae T. I. pg. 469 — 473. Quod punctum „comme fille de France“ attinet, cf. Reformation. Sermae n. Ludovicae Mariae Gonzagae, reginae Poloniae, dat. Vars. 5 Decbr. 1646 apud M. Dogiel, Cod. dipl. T. I. pg. 473 — 477. cf. Rudawski l. c. pg. 34. —

⁶²⁾ Notitiam hanc L. Rankio V. III. debeo.

⁶³⁾ (Bayle) Réponse aux questions d'un Provincial. ed. Rotterdam 1707. T. IV. pg. 49 — 54.

ei placebat, nam „obesus maritus“ prohibuit eam, quominus in publicis rebus versaretur. Discordiae tamen, quae ex illis praesertim rebus inter regem et reginam ortae sunt, Mariae illecebras nondum imminuerunt, quibus diadematis splendor animus ejus impleverat. Connubii iugum aequo ferebat animo omnesque res sive bonas sive malas⁶⁴⁾ adhibebat, ne post mortem confecti jam aetate Vladislai corona spoliaretur; neque eam fefellit eventus. Mortuo enim Vladislao aula Gallica, adjuvante Maria Ludovica, quae magnam apud nobiles auctoritatem habebat, Joanni Casimiro non solum regnum sed etiam uxorem conciliavit.⁶⁵⁾ Joannes Casimirus a. d. XVI. Cal. Febr. a. 1648) regio insigni ornatus mense Martio ejusdem anni viduam post fratris mortem Mariam uxorem duxit, „ut eo modo omnibus populis voluntatem suam conservandae inter Poloniam et Galliam amicitiae ostenderet⁶⁶⁾.“ Inter novi regis nuptias multae arces pagique nobilium Ukrainensium veluti faces quaedam mala praecinentes luxerunt et fama illius incendii furentisque plebis tantam anxietatem Var-

⁶⁴⁾ Tallemant IV. p. 185. — Niemcewicz, Zbiór pam. T. III. p. 238.

⁶⁵⁾ Załuski (Epistolae historico-familiares. T. I. pg. 150) scribit ad Cardinalem Ursini: „scio ego quoque Georgii Ossolinii, Cancellarii motu tractatum fuisse, cujus auctoritate senatus consenserat, literasque ad Reginam dederat, ne maritum Regem abnueret, sed res instructa fuit ambitione Reginae, quae Regi nubere non tantum percupiebat, sed multa pecuniarum vi sustentandae Regiae electioni facta erat, jurataque fidem a Casimiro exposcerat, ubi sceptri potitus fuisset, se non aliam in uxorem ducturum“ cf. Mémoires concernant Christine, reine de Suède etc. publ. p. Arkenholz, Amsterdam 1717 T. I. pg. 141—145. cf. Tallemant IV. p. 186. — Caillet l. c. pg. 356. — Mém. de Motteville l. c. Rudawski p. 24. cf. Chanut l. p. 304. St. Albr. Radziwiłł, Pamietnik, ed. Raczyński, T. I. p. 394. sqq.

⁶⁶⁾ Tabulae nuptiales Mariae Ludovicae et Joannis Casimiri consignatae Varsoviae Kal. Mart. a. 1649, ratae jussae a Ludovico XIV. Compendii pridie Nonas Jul. a. 1659. In Portofolio Maryi Ludwiki, ed. Raczyński, Poseniae 1844. T. I. pg. 38.

soviae movit, ut Radzivillo auctore⁶⁷⁾ „omnes diffugissent, si parva solum turma Cosacorum Varsoviae prodiisset.“ — Talis reipublicae status haud parum sollicitudinis et regi et reginae praedicebat; sed praeter procellas et pericula, quibus Maria cum altero marito jam obnoxia erat, jucundius cum eo vivebat, quam cum Vladislao, nam Joannes Casimirus, ut arbitratur Alexander Przeździecki, „magis idoneus fuit, qui talem conjugem satis existimaret et auctoritati ejus potioris ingenii facilius cederet⁶⁸⁾.“ Joannes Casimirus reipublicae curam fugiens imperii gubernacula omisit, quae statim ambitiosa Maria cupide et ardentem arripuit et ad vitae finem maritum et rempublicam moderabatur⁶⁹⁾.

Maria Ludovica multis a natura praeclaris virtutibus praedita fuit, quibus omnibus nisa eo facilius in infirmum Joannem Casimirum dominari potuit, quod illi nubens jam non prima fuit aetate (annum tricesimum septimum tunc agebat). — Animi ejus alacritas eximiae pulchritudini vim venustatis cujusdam conciliabat; studium cognoscendi quaecumque fuerunt excelsa et honesta in facie ejus „candida“ strenuum animum ostendebat, qui „in nigris pulchrisque oculis“ magnificus cernebatur⁷⁰⁾; et si in alta fronte ejus tristitia quaedam conspiciebatur, intelligi potuit, „Mariam non somnare de ea, sed cogitare.“ „Corporis ejus forma venusta fuit, crines nigri, color suavis, dentes

⁶⁷⁾ Pamiętnik Stan. Albr. Radziwiłła ed. Raczyński T. H. p. 335.

⁶⁸⁾ Biblioteka Warszawska a. 1851. mens. Aug. p. 191.

⁶⁹⁾ Rudawski pg. 355. . . „qui (Joan. Cas.) uxoris mandata exsequabatur“ — p. 398 scribit Rud., Joannem Casimirum interventionem Galliae pacis cum Suecia constituendae causa accepisse „adnitente conjugem, quae tunc maritum regebat ut parvus Aethiops elephantem“ cf. Caillet l. c. pg. 360—370.

⁷⁰⁾ Marolles I. p. 304. . . „et furent (legati Polonici) reęus sans ceremonie, avec cet air majestueux et doux, que l'on a toujours tant admiré en cette Altesse (sc. Mar. Ludovicae).“ — Tallemant IV. 180.

pulchri, lineamenta oris vultusque nec grata nec deformia, quae omnia eam venustam ac veram reginae formam reddiderunt ⁷¹⁾.“

Quae omnia ad excitandam hominum omnibus in rebus admirationem valde idonea meliorum firmarumque virtutum fuerunt involucrum.

Maria enim Ludovica praeter magnam mundi hominumque experientiam, perspicuo atque acri fuit ingenio; praeter ingenii acumen festivitatem quandam habuit, quae naturae italicae propria non semper a calliditate secerni potest; praeter alacritatem animi feminae sine intermissione in magnis consiliis versantis ingenuitatem ac pietatem sensuum quam nobilissimorum invenias ⁷²⁾; praeter facilitatem vigoremque variis rebus explorati animi ⁷³⁾ fortitudinem quandam cogitationis ⁷⁴⁾; praeterea dignitas quaedam simpli-

⁷¹⁾ Mémoires de Motteville (Collection Petitot, 2de série XXXVII, pg. 156). Omnia quae in textu diximus, omnino ex Motteville depromimus, singularia aliunde sumta singularibus notis significamus.

⁷²⁾ Literae ejus ad dom. Choisy d. d. Glogoviae a. d. VI. Kal. Maj. a. 1656. Bibl. Warszawska a. 1851 August. p. 197 cf. ibid. p. 197 cf. ibid. p. 196. — Ibid. p. 201: „Sueciae rex adhuc una cum uxore otiosus est. Timebam, ne exspectaret Cosacos. Ita causas me ipsam vexandi reperire scio! Dicis, meliorem esse dominationem quam solitudinem. Non eadem sum sententia. Quantopere otium animi et conscientiae angelorum otio comparandum est! Multa facere potest in magna republica, cui sunt opes; sed quum aliquis in ea non versatur, reprehenditur tantum, et vitia, quae prohiberi non possunt, eum condemnant. Precare a Deo, ut mihi in solitudinem redire concedat.“

⁷³⁾ Tallemant IV. p. 181: „On a remarqué que jamais personne n'a eut tant de hausses qui baissent dans sa vie que la princesse Marie“ Ceterum haec nobis ostendit historia totius vitae ejus.

⁷⁴⁾ Cf. literas ejus d. d. Glogoviae a. d. V. Kal. Jul. a. 1656 (Bibliot. Warsz. 1851 p. 202) in quibus de expugnata Varsovia a Polonis scribit: „Fortasse aegre tulerunt (rex Suecicus ejusque frater) quod sub eorum oculis urbs capta est. Nunc venit nuntius de deditioe Piotrkoviae, praefectus et praesidium apud regem nomina professi sunt ea conditione, ut mea legio nominetur. Jam per tempus quoddam cum illo ago. . . . Hic (in Silesia) si manerem non dubito quin Cracovia

citasque, quam interdum excitata ejus mens prae se ferebat, in ea conjunctio exstiteret⁷⁵⁾, neque tamen carebat audacia⁷⁶⁾. Interdum malum eam angit, quod praesagire videtur; sed certamen cernens periculi obliviscitur neque expavescit, etiam si tormentum bellicum ei displodendum⁷⁷⁾ atque inter tela agger adeundus sit⁷⁸⁾. Insuper Maria praeter obstinatam voluntatem, acerrimum atque audacissimum habuit animi ardorem neque un-

diu non resistat. Jam oppugnatur; praesidium satis est parvum, milites vero Suecici in tanta sunt inopia, ut eorum me misereat. . . . sed proficiscar oportet“ . . . — Kochowski: Clim. I. p. 104: „Ad haec pares generi animi dotes, expeditum ingenium, in curas civiles expedita mens, et dum forma ac vultu insignis habetur, nihil praeter speciem muliebre.“ — cfr. Idem Clim. II. pg. 255.

⁷⁵⁾ Cf. literas Mariae d. d. Glogoviae a. d. VI. Kal. Maj. a. 1656 (Bibliot. Warsz. 1851. p. 196 — 198), cf. dialogum Angelicae de S. Jean Arnauld d'Andilly cum le Maistre ad reginam Polonorum pertinentem (Portof. T. I. p. 44 — 47). — cf. Portof. I. pag. 57—70. — Ibid. p. 95. 96. 97. 98. 99. 101. 103 — 107. 137 — 141. 176. 177. —

⁷⁶⁾ Literae Mariae d. d. Glog. a. d. XV. Kal. Jun. a. 1656 (Bibliot. Warsz. 1851. p. 200.): „Ad regem misi legatum, qui mandata ejus posceret, et Hatzfeldus summus dux hesterno die apud me fuit nomine Imperatoris, ut hic maneam, nam festinatione terrorem quidem me mihi paraturam esse. Profecto me non agnosceres; adeo sum fortis. Quam libentissime in castris esse mihi videor. Cracovia me auctore oppugnatur, sed nimis conelatum est, vereor, ut succedat! Noli prius proferre in lucem, quantum haec res mihi curae fuerit, quam eventum cognoveris. Si prosper erit, me laudabis, si malus, tacebis. Centum millia militum in Polonia mihi esse videntur; semper autem angor: fortuna belli est anceps!“ — cf. Literas Mariae ad dom. Terlon d. d. a. XVI. Kal. Jul. a. 1659 (Mémoires du Chevalier de Terlon. Pour rendre compte au roi de ses négociations depuis l'année 1656—1661. Paris 1681. T. I. p. 389.). — cfr. Bibliot. Warsz. 1851. p. 209.)

⁷⁷⁾ Literae Mariae d. d. Wolborz a. d. VI. Kal. Novem. 1656. (Bibliot. Warsz. 1851. p. 209.) cf. Kochowski Clim. II. p. 150. Pamiętnik Mikołaja Jemiołowskiego (ed. Bielowski) Lwów 1850. pp. 103.

⁷⁸⁾ Portof. T. II. p. 184.

quam exhaustam consiliorum rationumque copiam⁸⁹⁾, qualem velle in viro non facile inveneris. Humanitas ejus instituto quodam Varsoviensi, quod Polonice „Wizytki“ dicitur⁹⁰⁾, celeberrimum extruxit monumentum; benignitas ejus ac magna cura pauperum permultis orbis solatium fuit; liberalitas in clerum, quamquam semper suam utilitatem spectabat, vere catholicae ei famam conciliavit⁹¹⁾; etsi aliis ex rebus verecundiam Mariae erga fidem catholicam non nimis fuisse magnam et plane certam sciamus. Mense Julio a. 1655 Maria antistiti monasterii Port-Royal Parisias scribit: „Hac de causa manu propria ad papam se scripturam esse, ut Sanctitatem ejus de sinceritate fidei suae ac totius aulae pro certo confirmaret.“ Et re vera Alexandro VII. papae se purgavit, immerito se accusari, quod sententiis Jansenii faveret⁹²⁾. Suavitas illa eademque incitata mens Mariam Ludovicam et fanalice catholicam et studiosam Jansenii sociam facere potuit; aequus tamen animus ejus adversis rebus excitatus ista vitia ab ea avertit, et conjunctis tribus his rebus modo ingenuitatem, modo pietatem a rebus mundanis non abhorrentem excitavit⁹³⁾.

Quae quamvis splendidae ingenii Mariae Ludovicae virtutes ipsam tamen gravem, jucundam, observantia dignam reddere non potuerunt; laedens enim ejus loquacitas muliebris, quae ubique parata esse studebat, ne paulisper quidem nos oblivisci sinit, illam dotem minime esse muliebram vulgarem cujusdam mulieris. Confisa „mirabili facilitate conciliandi sibi hominesisque persuadendi,

⁸⁹⁾ Caillet apud Siemkiewicz: Skarb. hist. pols. T. I. p. 369.

⁹⁰⁾ Portof. Maryi Ludw. T. I. p. 48. sqq.

⁹¹⁾ Chr. Załuski Epistolae historico — familiares T. I. p. 1. 5.

⁹²⁾ Portof. T. I. p. 184 et ibid. nota * — cf. Notice sur Port-Royal in Coll. des mém. relatifs à l'hist. de Fr. par M. Petitot 2de sér. T. 33. p. 68. 69. 73. 85. 130. cf. Racine hist. Eccles. T. X.

⁹³⁾ Marolles I. p. 286. cf. (Bayle) Réponse aux questions d'un Provincial T. IV. p. 67. — Portof. I. 168. 169.

facillimè sententias suas aperit;“ quia autem impatientiam muliebris naturae omnino reprimere non potest, „nimis discordiarum inter eos, quibus ad agendum utitur, conciliare solet,“ et „quo facilius ad finem sibi propositum perveniat, magis quam opus est, invidiam commovet ac mysteria enuntiat, quae illi interdum secum communicant, quam ob rem odium eos dissociaturum in se convertit ⁸⁴⁾.“ Accidit quoque, ut alacri animo „persaepe et perfacile cogitationes sententiasque mutet eaque vituperet, quae modo ipsa probaverit et proposuerit“ ⁸⁵⁾; proinde ac si animum ejus altiora quaedam petentem prioris pudeat cogitationis, aliis igitur eam leviter supponit!

Effrenatum, quo Maria ad res publicas trahebatur studium gloriae cupidinem ejus animo excitavit, cui ut satisfaceret, nobilissimis cum Ludovici XIV. aulicis commercium exercuit, ad quorum exempla cum omnia sua facta componeret, id potissimum spectavit, conatus ipsius ut eventu non destituerentur. Ea in re summam et gloriam et inter Polonos auctoritatem ponebat. ⁸⁶⁾ Quare res in mente ejus tantum valuerunt, ut earum causa saepe ad occultae astutiae cujusdam consilia confugeret, quae in fervidis tantum atque ambitiosis rebus conspicitur ⁸⁷⁾; quasi aulae

⁸⁴⁾ Caillet l. c. p. 368. 369.

⁸⁵⁾ Caillet l. c. p. 369. Samuel Pufendorf: F. W. X. §. 55: „Solennes ei artes erant, dicta sua inficiari, et aliis, qui non dixerant affingere, velut veneratione regiae dignationis ab exprobratione mendacii tuta.“

⁸⁶⁾ Caillet. l. c. p. 369. cf. literas ejus in Bibliot. Warsz. 1851 Aug. pg. 197. 205. 207. Terlon I. g. 389. cf. Kochowski Clim. III. p. 218. — Rudawski p. 399. —

⁸⁷⁾ Kochowski Clim. III. p. 218: „Certe manifestum erat, Ludovicam Regin. aequè noctu ac die suscitandis consiliis quocunque modo nulla quietis necessariae, imo ne salutis cura, sollicitam continuo egisse, ut nimia intensione mentis, vires corporis labefactante, admoneri a medi-

gallicae placitura rebus artibusque quam diversissimis se implicat et consiliis decepta nec vanitatem suam muliebrem reprimere, nec violatum sui amorem continere potest ac tum ne a de-
honestando quidem populi honore abhorret, cujus regina exstitit.⁸⁹⁾
Hic non nisi vanam mulierem videmus! — Semper veluti memor con-
ventuum apud „dominam Rambouillet“ celebratorum subtilissi-
mum in modum animos amicorum suorum sibi conciliat comme-
morans „omnia se in Polonia humeris sustinere, minimeque
animum suum debilitari.“ „Miror“, scribit in epistola quadam
ad dominam Choisy data, „quum res Polonicae me vexent, bona
me valetudine uti . . . , quum autem procedant, haud bene me
valere. De Noyers dicit, ab animo meo fugari lepores“⁹⁰⁾.

Seculi, quod tunc erat inprimisque in societate Gallica conspi-
ciebatur, quum leges sequeretur, quum constanti quadam optimatum

cis debuerit Sed illa ut vix sanitati, sic nec gazae Regiae . . .
haudquaquam pepercit; imo vitam impensura videbatur, modo antequam
fatis cedit, pro certo constaret, etiam posthume in Succetrice sanguinis
regnaturam. Non absterruit impensarum moles, non factionis per Austri-
acam aemulationem difficultas, non Coronati Capitis discrimina, obdurati
populi reclamatio, dissuadentis senatus voces, denique nec latae leges
. . . . Unde omni officio donisque conciliabat eos, qui vel ingenio vel
dicendi vi etiam popularitate ac factionibus per Provincias valerent; de-
lineabatque ex commendatione demonstrantium ambientes honoribus,
pecunia indigos, elatos promissis, vanos laudum aucupio nulli curae par-
cens . . . etc.

⁸⁹⁾ cf. epistolam ejus Lublino d. d. pridie Id. Sept. a. 1656.
Bibliot. Warsz. 1851. Aug. p. 207. cf. ibid. 208. 210.

⁹⁰⁾ Ibid. p. 207. cf. ibid. p. 195. 196. 200. 205. 209. cfr. Oeuvres
de Louis XIV. T. V. p. 106. Ludovicus his verbis scribit, Reginae d. d.
Paris le 4. janvier 1663: „Vous êtes à plaindre, sans doute, d'avoir à con-
duire vous seule tant de differens esprits, si mal concertés entr'eux, et
qui, le plus souvent, s'opposent à leurs propres intérêts; mais il faut
avouer aussi que vous en aurez d'autant plus de gloire, faisant réussir
votre dessein, dont je veux toujours bien espérer, ne jugeant rien d'im-
possible à votre fermeté et à votre adresse; cependant vous me faites

inter Parisienses amicitia uteretur ⁹⁰⁾, mox tantus omnium cogitationum consiliorumque et omnino „morum Gallicorum“ consensus in animo ipsius ortus est, ut prope propagatricem eorum se habere cœpisset, et collatis cum hac contentione familiaris studii rationibus, ne ullum quidem in Mariae pectore amoris locum erga populum invenies, quem regina curare debebat ⁹¹⁾. Nihilominus, Maria Ludovica

justice de croire que, quoiqu'il arrive, je ne vous abandonnerai point, car je n'oublierai jamais l'amitié que vous m'avez témoignée dans une affaire de cette importance, quelque succès qu'elle puisse avoir, et j'en aurai toute ma vie le ressentiment dans le cœur“ etc.

⁹⁰⁾ Mémoires de l'abbé de Choisy. (Petitot, 2de sér. T. 63, pag. 153.)

⁹¹⁾ Alex. Przeździecki, qui collectas a Grangier de la Marinière nonnullas Mar. Ludov. literas publici juris fecit (Bibliot. Warsz. 1851. Aug. p. 189) prorsus contrariam amplectitur sententiam dicens, praeter ea, quae adhuc de Maria Ludovica nobis nota fuerint, non satis cognitam fuisse ejus audaciam, et magnum amorem, quo novam quasi patriam suam Poloniam adamaverit et cui memoriam propriae patriae, amicitiam Annae reginae, pietatem erga Cardinalem Mazarinum (?), quietem dierum supremarum, suas divitias condonaverit (?). „Tali in sententia non videmus historicam illam justiciam,“ cui satisfacere Przeździecki „suscepit.“ Perlectis in: „Biblioteka Warszawska,“ quae sunt praeclaris sententiis dictisque blandis refertae et alacritate quadam expletae, literis Mariae Ludovicae, nullo pacto hanc „apologiam Mariae Ludovicae“ probare possumus, nam reperimus in illis quod jam obiter in notis commemoravimus, ignominiam honoris Polonorum (cf. p. 206. 207. 208: „tamen in perpetua sum anxietate, et Polonis omnino confidere non possum; semper in mentem mihi venit fuga eorum ad Varsoviam facta.“ — cf. ibid p. 196. 210) — neque ullam habemus rem, quae „magnum illum amorem“ Mariae erga Polonos comprobet. Dicere nolumus, Mariam odium habuisse in Poloniam, sed persuasissimum nobis est, magis eam amasse Galliam, quam Poloniam. Kochowski Clim. III. lib. VI. p. 274 dicit de ea: „etiam totum regnum in coloniam Gallis oblatura, si potuisset.“ — Rudawski p. 278: „cui (Wrangel) abeunti postero die, mille aureos numerari jussit (Maria Ludovica), magna in hostes prodigalitate, non item in suos Polonos, quos egregie emungere, more Gallis usitato didicerat, usum Gallorum obtendens persuadensque mores Gallicos genti remotae a Gallia.“ cf. ibid. p. 514 sententiam Mizleri. — cf.

tanta auctoritate, vi et per aliquod tempus gratia in Polonia fruebatur, quanta nulla alia Polonorum regina. Cujus rei si causae nobis sunt quaerendae, animum imprimis ad dua attendere oportebit momenta: ad connubia virginum aulicarum cum proceribus Polonicis iniata, et ad auctoritatem, qua Maria Ludovica apud infirmum Joannem Casimirum utebatur. Ex altera ratione firmum quoddam vinculum inter aulam, in qua Maria „dominabatur“, et primas reipublicae familias statim exstitit, praeterea inter Galliam et Poloniam, nam virgines illae, quae una cum reginae Galliae in Poloniam venerant, haud secus ac „patrona“ cultui Gallico deditae erant ⁹²⁾. Ob alteram rationem magna nobilitatis caterva reginam oppugnabat, nam ex ea pendebat, quis ad vacuum munus vocaretur ⁹³⁾. Tempore belli Suecici multo magis voluntati ejus nobilitas obsequi coepit, omnes enim, qui Suecis dediti patriam prodiderunt, reginam adulantes vitia celare

Pufendorf Fr. W. X. §. 65. Caillet l. c. p. 361. His auctoribus nisi, consideratis praeterea omnibus Mariae Ludovicae factis, consentire cum *Przeździecki* non possumus neque liberamus eam crimine, quod diximus, nam id: „eam esse ab hostibus deceptam, a suis sectatoribus proditam, circumdatam amore sui, caecitate, blanditiis,“ minime ipsam ejus proditionem, amorem sui, caecitatem excusat etc. etc. Rerum scriptoris non est argumentari, bonum aut malum aliquem fuisse, sed ostendere, qualis fuerit; nostri vero permagna verecundia alterius partis ducti, alteram castigant modo nobilitati, modo regibus, modo perfidis vicinis male dicentes etc. ac negligunt, haec omnia et multa alia conjuncta fuisse causam fortunae nostrae aut malorum.

⁹²⁾ Maria Casimira de La Grange d'Arquien Joanni Zamoscio eoque mortuo Sobieskio nupsit, Eugenia de Mailly-Lascaris, Christophoro Pac, Cancellario Lithuaniae, de Lussé Michaeli Pac, Langeron castellano Plocensi nupsit; aliam Gallicam virginem Morsztyn, magnus Subcamerarius, in matrimonium duxit. Vide Leon Rogalski, *Dzieje Jana III. Sobieskiego*. Warsz. 1847. p. 8. cf. Salvandy, *Hist. de J. Sobieski* ed. 1844. p. 126.

⁹³⁾ Caillet l. c. p. 360. Załuski, *Epist. hist. fam.* T. I. p. 151. Kochowski, *Clim.* I. p. 234 cf. *Clim.* III. 221. 222. — *Pamiętn. Albr. Radziwiłła.* T. II. p. 428. 459.

posse sibi videbantur; numerum autem eorum magnum fuisse satis constat!

Inde factum est, ut Maria potentissimam se sentiens prae consiliis familiam ipsius spectantibus, quae rebus Gallicis favebant, rerum Polonorum immemor esset; Polonis autem, praesertim expulsis tot hostibus, nimia fuit ambitio, quam qui diutius haec omnia pati potuissent. Et hoc modo Maria sive de industria, sive invita Gallos ex Polonis tanquam faciens⁹⁴), simulac unus repertus est adversarius, tantam factionem sibi contrariam excitavit, ut mox contra eam ejusque consilia adversariae partes existerent, quae viventem satyricis carminibus contemtuque prosequerentur, ac ne mortuae quidem memoriam abjecerunt, quippe qui persaepe temporum iniquitate ubi erant pressi „furiae illius Gallicae“ recordarentur⁹⁵).

⁹⁴) Samuel Pufendorf Fr. W. X. §. 65.: „deprehensum est, ejus reginae exemplo et continuis machinationibus malitiam et fraudulentiam in Aula ista non modica incrementa cepisse, moresque nationis eo contagio non parum infectos.“ — Portofolio T. I. pg. 228. Cujus rei multa reperimus argumenta apud rerum Polonicarum scriptores. Paullulum vehemens est J. Chrisost. Pasek.

⁹⁵) In bibliotheca Kornicensi instructissima Palatinidis Titi Dziąłyński, V. III. uti nobis contigit Manuscripto, quod ut ederetur maxime desiderari potest, nam a viro doctissimo Stanislao Temberski, tunc in academia Cracoviensi professore, Piaseciana arte elaboratum, documentis ad an. 1647—1656 pertinentibus copiose congestis multas adhuc minime notas res vel in lucem profert vel collustrat. Temberski occasione matrimonii Mariae Ludovicae cum Joanne Casimiro initi hanc sententiam de Maria Ludovica pronunciat (fol. 115.): „infelix erat Vladislaus ante mortem dum Ludovicae Gonsagae imperium ferre non poterat, etiam affixus lecto: infelix post mortem dum ad funebres exsequias desiderata Regina, praeparans se ad nuptias ex voto celerrimas, novi regis consortium praestolato ardens amore. Infelices Romae erant viri Publ. Crassus et Cn. Pompejus, quibus Cornelia magni illius Scipionis filia erat conjuncta. Ast illi non fratres! in orbe autem Polono nihil fraternitatis conjunctius opera dicitur. Nec felix futurus Casimirus, tum quod ex sororino sanguine ortus sit, tum quod fraternum censuit degustandum thalamum. Nec felix Ludovica, quae pro ludo vicit amore Casimirum et ad foedam traxit matrimoniatificationem: quae

Ab eo tempore, quo dissensiones et certamina inter rempublicam atque aulam vel potius Mariam Ludovicam orta sunt, intelligimus pristinam ejus voluntatem obstinatam redditam esse, et lacessitum sui amorem ac superbiam vel probrosis uti rationibus, quibus consilia consequi posset, non dubitasse. Quam ob rem quo magis prohibetur, eo facilius sollicitatur, ulciscendi cupiditate flagrat et suspiciosa, iniqua, offensa existit⁹⁶⁾. His facinoribus minime regis dignitatem regiam saepe contaminavit et magnum fortasse quod agitabat consilium regiae potestatis in Polonia confirmandae adeo odiosum reddidit, ut populus propter id consilium quam maxime indignatus jam meliorum temporum spem conciperet et respiraret auditis verbis Wydźgae, laudatoris ejus funebris: „Et dissipatae sunt omnes cogitationes ejus!“⁹⁷⁾. [† 10. Mai. 1667.]

Ingeniis igitur duorum auctorum, qui maxime electionis consilium molirentur, ante oculos universe positus, facillime intelligi potest, in hoc statu rerum artificia, blanditias, commoda privata, largitiones, et ut paucis dicamus, omnia vitae aulicae vitia

pro ludo habet, introducto sordido quaestu honorum, nummos virtuti ac meritis anteferre; quae pro ludo habet jejunia catholica, licentia Gallica stimulante, violare; quae pro ludo habet imperium regis saepius improbare, regimen universum deposcens. Prodierat nuper Gallice, Germanice et Italice conscriptum inventum, imagini expressae Typo affixum, in qua Regina in sede Regia ad tabulam seu mensam sedebat, aureos sacros accipiens ab iis, qui ante mensam genua flectebant et pro privilegiis ac honoribus summas deponebant, regem autem assistentem Reginae talem quaestum demirantem addiderat inventor cum lemmate: Haec vir, hic mulier! quod imperio muliebri pareret in omnibus etiam in beneficiis conferendis multis rejectis bene meritis. Ad mensam vero applicuerat lemma: „Plus offerenti.“ Pupugit tale inventum regem, magis vero reginam exprobrans ejus avaritiam et mille aurei offerebantur inquisitori ut author haberetur cognitus: Non successit oblatum praemium; quia in Gallos torquebatur inventum!“ — cf. Chr. Pasek.

⁹⁶⁾ Pasek p. 193. Koch. Clim. III. p. 156. 159. Rudawski pg. 404.

⁹⁷⁾ Załuski: Epistolae hist. fam. T. I. pg. 2. cf. Kochowski Clim. III. pg. 272 — 274. cf. p. 282. cf. Ambr. Grab. Ojcz. sp. T. I. 237.

quam latissime vagari potuisse. Quam enim horribilem ostendit nobis imaginem aula ultimi regis de domo Vasarum?! — „Introspecte quisquis es Aulam,“ dicit indignabundus Vespasianus a Kochow Kochowski⁹⁸⁾, „cum videris referta atria, obsessas penetralis fores, oppletum incubis limen; cogita larvato actu scaenam instrui, et tot vertumnos esse quot homines. Amplum hoc diversorium hypocriseos forum est, in quo praeter funum venale nihil. Hic jusjurandum titulus fidei re carens, ineptum amicitiae vocabulum, inane prudentiae nomen, nisi haec omnia privatae utilitati inservant Accedunt simulatio et dissimulatio, incognita veteri Ethicae entia, nunc cardinales eo loco virtutes. Inter haec mira rerum antiperistasis. Hunc curulis suae taedet; illum crescens alterius fortuna premit; aevum transit, neque gravidae spes parturiunt, horulae momento casus transigitur. Ita omnes sicut aquae alii alios trudent, mox a sequentibus protrudendi: ac, dum felices oderunt, infelices aspernantur, medii manent inter eminentium contemptum et parium invidiam.“

Sed in aliam historiae regnantis Joannis Casimiri partem oculos convertamus, nam diligentior contemplatio tantae morum consuetudinumque pravitatis, in quo patres nostri versabantur, scribentem magis lacessere, quam legentem capere potest! —

⁹⁸⁾ Kochowski Clim. I. pg. 234. cfr. etiam Clim. III. pg. 218. — Similiter, si non vehementius, conqueritur etiam Stan. Temberski, Annales ab anno 1647 — 1657 (M. S. bibl. Kornicensis Palatinidis T. Działyński, fol. 390 et 391.)

§. 3.

Succincta rerum narratio, quae Joanne Casimiro regnante cum aulae successoris regni designandi consilio conjunctae erant. Idem consilium quas habuerit origines, quomodo committiis a. 1661 proditum fuerit iudicatum a populo.

Joannes Casimirus coronam capiti nondum imposuerat, quum Respublica, quam gubernaturus erat, filiorum sanguine conspersa teterrimam caedem gemebat, in finibus incendio flagrabat et varie devastabatur. Post vanos Reipublicae conatus septem per spatium annorum continuatos Cosaci in fidem et clientelam Russiae se contulerunt. Vix autem fragores tempestatis ab oriente venientis auditi sunt, quum jam nova fulmina a septentrione profecta Rempublicam invadunt. Namque Carolus Gustavus, postquam imperium Suecicum, corona a Christina deposita, ad eum transiit, a Joanne Casimiro solium Vasarum appetente violatum se putans hostis Poloniam a. 1655 ingressus est, non ut injuriam ulcisceretur sed ut primordia imperii praeclaro facto illustraret¹⁾, totam Rempublicam hostiliter peragravit: exercitus Polonicus, legitimo rege destituito in hostis partes transiit²⁾ — totum fere populum profugi

¹⁾ Dilucide exposuit Gordon, quae Gustavum ad gerendum eum Polonia bellum moverint. Tagebuch des Generals Patrik Gordon während seines Kriegsdienstes unter den Schweden und Polen vom Jahre 1655 — 1661 etc. etc. edd. M. A. Obolensky et Dr. M. C. Posselt. Petersb. 1849 T. I. pg. 10. 11. Sam. Pufendorf, de rebus gestis Caroli Gustavi. Norimb. 1696 lib. I. §. 52 — 57. cf. Idem F. W. V. op. 9 — 13. Chanut III. 295 cf. 446. — Kochowski Clm. II. pg. 4 — 14. Rudawski 148 sqq.

²⁾ Primi fuerunt Christ. Opaliński, Palatinus Posnan. et And. Grudziński, Palatinus Kaliss. qui propositis conditionibus a. d. VIII.

regis et praedatoris violenter progredientis puduit: alius post alium Palatinatum in verba saevi sed fortis Sueci jurabat³⁾. Joannes Casimirus imperium non esse recepturus putabatur⁴⁾: ipse diutius regnandi spem abjecisse videtur, nam regnum vile habere coepit cuius regno cedere paratus nisi ei, qui illud ipsi erepturus esset. Joannes Casimirus impositum sibi onus regni grave molestumque sentiens, propter quod pallium monachicum abjecerat, omnem dignitatem regiam perdidit et quum de reipublicae viribus desperaret ab Austria, Gallia, Hispania, Pontifice maximo, imperatore Turcico, Tartarorum principe auxilium petiit multisque promissis foedus electoris Brandenburgici confirmare studuit⁵⁾. Nobilium

Kal. Aug. a. 1655 ad Suecos transierunt (Gordon I. l. c. p. 15. 16. Pufendorf, C. G. II. §. 15. Kochowski, Climact. II. pg. 22—24. Rudawski pg. 164). A. d. III. Id. Oct. a. 1655 se dederunt Suecis Lanckoroński, Koniecpolski et Joannes Sobieski, illo tempore vexillifer regni, postea defensor Vindobonae (Gordon I. pg. 30. cf. Kochowski Clim. II. pg. 61—63. Rudawski pg. 200. — Mik. Jemiołowski, Pamiętnik. ed. Aug. Bielowski. Lwów 1850. pg. 65. cf. 67—69.) — Paulo post etiam Potocki supremus exercituum dux (Gordon I. pg. 40. Vide epistolam ejus ad regem in Portof. Mar. Ludw. T. I. pg. 106—209. cf. Rud. pg. 211. 212. Koch. l. c.). Lithuani duce Joanne Radziwiłło se tradiderunt a. d. XV. Kal. Sept. a. 1655 (Rud. pg. 207—211.)

³⁾ Rudawski pg. 196—198. cf. ibid. pg. 181. 182. Gordon. l. c. Koch. l. c.

⁴⁾ Mense Augusto a. 1655. Joan. Casimirus in Silesiam fugit, postquam Czarneckio Cracoviam defendendam dedit, arcem vero una cum insignibus regis Georgio Lubomirscio, magno regni marschalco. „Pauca quoque et praesenti moestitiae congruentia Marschalco Lubomirscio locutus: Cedere se pacis et Reipublicae causa, retinerent tamen memoriam sui!“ (Rud. 203.) Dum Sueci Cracoviam oppugnant, Lubomirscio insignia regia Cracovia in arcem suam Lubomli munitam auferre contigit, neque eo modo tantum in manus Suecorum non inciderunt. (Koch. pg. 37. cf. 55. Biblioteka pisarzy polskich wyd. przez Wojcickiego T. I. pg. 200.)

⁵⁾ Sam. Pufendorf, Fr. W. V. §. 17. 18. 19. 20. — Koch. l. c.

opes bellis cum Cosacis gestis pristinum splendorem aliquamdiu amiserunt: privilegia hujus ordinis non meritis tantum, sed multo magis pecunia oblineri potuerunt⁶⁾. Nobiles, qui interitum pertimescerent, satis libere sui aditum praebebant omnibus, a quibus exspectarent salutem: amor juris libere regem eligendi primum calamitatibus, quibus tunc Polonia premebatur se submisit⁷⁾, postea tamen revocata commodi, quod illud jus sequeretur, memoria eo se servaturus erat, quod contra omnem vim majorem promisso regno defensorem redimere statuit.

Quot opus fuit rationibus, quibus animus tam fractus erigi, memoria gloriae praeclarorumque factorum revocari potuit!

Antequam Joannis Leczczyński, palatini Posnaniensis, sententia: „Obrueri nunc hostis nos potest, retinere aut subjugare non potest⁸⁾“ patriae amorem contra hostem ac plebis iracundiam

⁶⁾ In edicto confoederationis Tyszowiecensis legimus „Omnibus insuper inferioris ordinis et conditionis hominibus etiam extraneis, non tantum bene merentibus de Republica campum sperimus, verum etiam occasionem damus et accessum et praeferentias Nobilitatis, quicumque se pro posse ac viribus suis obsequio Reipublicae ac vinculo nostro adjunxerit, ac patriae auxilio fuerit, unanimiter offerimus et promittimus.“ Rud. pg. 222. 223. In comitiis vero a. 1657 nobilitatis jus pecunia vendere statutum est. Koch. Clim. II. pg. 207. „Praerogativa generis ambientibus venum exposita, scilicet qui a fundendo suo vel hostili sanguine (mos majorum, addit Kochowski, erat virtute ea parare decora) abhorrent, exhibito quod conductum esset pretio, uti ad jus Nobilitatis admitterentur.“ Ex epistola de Noyers (Portof. Mar. Ludw. II. 161.) putandum esset, hoc „pretium“ fuisse 30000 pol. pond. (i. e. 5000 Thlr.) cf. Portof. II. p. 119.

⁷⁾ Kochowski II. pg. 70. Pufendorf, C. G. II. §. 61. cf. epistolam Primatis ad regem scriptam apud Grabowski, Ojczyście spominki. Krak. 1845. T. II. pg. 87 — 95.

⁸⁾ Pastorius apud Koch. Clim. II. pg. 88. Opaliński enim, quem Palatinum Posnaniensem cognovimus, paulo post mortuus, prodicione ad Usé facta, probavit, alium ipsum fuisse in rebus publicis alium quae in Satyrarum volumine, cui titulum fecit: „Przestrogi do poprawy rządu i obyczajów

contra „haereticum⁹⁾“ inflammavit, Joannes Casimirus omnia experiebatur, ut regni pretio post mortem suam socium inveniret, qui Suecos ex Polonia expelleret¹⁰⁾. Nec mirum, nullum tunc defensorem (a. 1655 et 1656) ejus repertum esse. Gallia cum Cromvello Suecis, quos pecunia adjuverat¹¹⁾, prospere se adversus Austriam usuram esse arbitrabatur, imperator Austriacus, qui aetate confectus atque infirmus, sine copiis, suspiciosus, nihil certi statuere poterat, consolationibus tantum Joannem Casimirum sustentabat et Polonorum fugam aulae Gallicae machinationibus effectam fuisse suspicabatur¹²⁾; elector Brandenburgicus a victore Sueco obstrictus suas tantum res respiciebat¹³⁾, Moschus majore Lithuaniae parte in suam potestatem redacta, postquam Leopolim usque successit, de parte quadam Reipublicae cum Carolo Gustavo agebat, imperator Turcicus et Tartarorum princeps longius aberant, quam qui celeriter auxilio venirent¹⁴⁾; collectae ab Alexandro VIII. papa Romae pro rege Casimiro pecuniae haud sufficiens Reipublicae paene morienti fuerunt viaticum¹⁵⁾.

w Polsee (i. e. Consilia de emendando regno et moribus in Polonia). cf. Koch. Clim. II. pg. 85. 86.

⁹⁾ Praesertim fortiter defensa Częstochova per Kordeckium animos inflammabat. cf. Kobierzycki, Obsidio clari montis Częstochoviensis in: Scriptores rer. Pol. quotquot exstant recentiores etc. Collectore C. J. A. Amstel. 1698. T. 3. pars 2.

¹⁰⁾ Kochowski Clim. II. pg. 95. sqq.

¹¹⁾ Gordon I. p. 34. Portof. Mar. Ludw. I. pg. 214. cf. Epistolam Mariae Ludovicae in „Biblioteka Warszawska 1851. Aug. pg. 196.

¹²⁾ Pufendorf, Fr. W. V. §. 27. sqq. Portof. Mar. Ludw. I. 193. 195. — Koch. Clim. II. pg. 94. — Gordon I. 34. cf. Epistolam Primatis ad regem scriptam apud Grabowski I. c. pg. 92. cf. responsum Imperatoris apud Rudawski pg. 206.

¹³⁾ Stenzel, Gesch. Preuss. T. II. pg. 103. cf. epistolam Primatis apud Grabowski I. c.

¹⁴⁾ Grondski. Histor. belli Cosaco - Pol. pg. 239—252 cf. Portof. Mar. Lud. I. pg. 244. 267.

¹⁵⁾ Relazione dell' ambasceria straordinaria fatta in Roma alla Sta. di N. Sre. Alessandro VII. dagli Eccmi. SSri. Pesaro, Contarini, Valerio

Nisi populi genius, qui in confœderatione Tyszowiecensi apparuit, animos ad praeclaram olim Rempubicam, sed iam nunc paene eversam, vel inter ruinam ipsam inflammasset conservandam, nemo certe ex principibus externis eam servasset.

Aliam tamen Joannes Casimirus majorque pars senatus opinionem habuerunt. —

Jam anno 1655 Joannes Casimirus adhibitis in consilium senatoribus nonnullis, Opolia Vindobonam legatos misit, qui Ferdinando III. aut filio ejus Polonorum regnum pro auxilio, quod peterent ab eo, offerrent¹⁶⁾. Iisdem promissis factis paeneque eodem tempore (initio anni 1656.) firmam Friderici Guilelmi, magni electoris, amicitiam conciliare sibi studebat¹⁷⁾; iisdem igitur promissis Racocius, dux Transsylvaniae, permovebatur¹⁸⁾; eadem mercede Allegreto ab Allegretis, legato Austriaco, intercedente, induciae cum magno duce Moschorum sunt redemptae¹⁹⁾ (a. d. III. Non. Nov. a. 1656.). — Rationes inde natae effecerunt, ut Respublica hostile jugum excutere posset, sed multa illa promissa, quae omni-

e Sagredo per rendere a nome della Serma Republ. di Venetia . . . l'anno 1656. apud L. Ranke: *Gesch. d. Paepste T. III. Aohang No. 129. p. 238.* cf. Rudawski p. 207.

¹⁶⁾ Rudawski p. 206: „Consilium ibi (sc. Opoliae) ab omnibus datum est (a. d. VII. Kal. Dec. a. 1656.) offerre vicino Caesari Regnum non jam electivum, sed haereditarium, quo magis Austriacorum contra Suecos concitarent arma etc. etc. cf. Pufendorf *Fr. W. V. §. 31.*

¹⁷⁾ Epistolae scribae Mariae Ludovicae, de Noyers, in *Portof. Mar. Lud. I. p. 202.* cf. Pufendorf, *Fr. W. V. 61.* Epistola Primatis apud Grabowski l. c. II. p. 92.

¹⁸⁾ Rudawski p. 228. cfr. Epistolam Primatis apud Grabowski l. c. *Portof. I. p. 203.*

¹⁹⁾ Rudawski p. 282—284. Gordon I. p. 53 cf. *ib. not. 52 et pg. 73.* cf. P. Schöll, *Histoire abrégée de traités de paix entre les puissances de l'Europe depuis la paix de Westphalie par feu M. de Koch, ouvrage entièrement refondu, augmenté.* Paris 1817. T. XIII. p. 19 sqq.

bus satisfacere nequiverunt, Rempubliam novis implicarunt periculis. Fervidus Georgius Racocius, Suecicis artificiis sollicitatus, vivente adhuc Joanne Casimiro armatus, promisso regno potiundi consilium cepit sperans fore ut Poloni ipsum dominum agnoscere non dubitarent, si armatum se Cracoviae vidissent²⁰⁾. At eventus eum fefellit. Molestus enim ambitiosi petitoris²¹⁾ ardor non solum ipsi paravit interitum, sed Austriam adduxit, ut Reipublicae auxilium ferret²²⁾, principis Tartarici subsidia celerius advocavit²³⁾, foedus inter Poloniam et Daniam contraxit, quae statim illato Sueciae bello, majorem Caroli Gustavi auctoritatem in Po-

²⁰⁾ Terlon. Mém. I. p. 22. Koch. Clim. II. p. 195. 196. Rudawski p. 326. Theatrum Europaeum T. VII. p. 1057. — Gordon. I. p. 92.

²¹⁾ Nonis Mart. a. 1656 Rakocius ad Würtz, praefectum Suecicum Cracoviae epistolam scripsit, in qua magnam vanitatem et peracrem coronae Polonicae cupiditatem videmus: „sur tout lors, que l'Orient et l'Occident ont les yeux ouvertes pour voir de quel costé nous pencherons“ Terlon I. p. 17. 24. 37: „Le Prince Rakotzy estoit entrer dans la Pologne, sans avoir fait . . . aucune intelligence particulière avec les Polonois, comme il est aisé de voir par sa négociation dans la pensée sans doute, qu'avec sa puissante Armée il n'avoit rien à craindre, et que l'estat des affaires des Polonois les obligeroit de l'élire pour leur Roi, ne pouvant se passer d'un Chef, disant qu'il leur estoit par les Loix fondamentales du Royaume et de la Rep. de Pologne, sans violer le serment de fidélité qu'ils ont juré d'en prendre un à la place de celui qui en sort“ etc. cf. p. 67. —

²²⁾ Ferdinandus III. mortuus est a. d. IV. Non. Apr. a. 1657. Leopoldus, qui ei successit, nec prius quidem quam a. d. IV. Kal. Mai. a. 1657 cum Polonia foedus fecit, quum Rakocius Rempubliam invasisset. Optime invenitur hoc pactum in Du Mont, Corps diplomatique T. VI. 2de partie p. 179—182. Gordon (I. p. 100. 101.). Rudawski (p. 330) pauca tantum afferunt. — Kochowski Clim. II. p. 216. obiter hoc pactum commemorat.

²³⁾ Gordon I. p. 105. Koch. Clim. II. p. 225. Pufendorf C. G. IV. §. 40. cf. Terlon I. 64. Jemiołowski l. c. pg. 127. 128. Rudawski p. 345. 347. 348.

lonia fregit²⁴). Nisi artificia aulae Gallicae fuissent, bellum Suecicum turpissima pax secuta non esset, qualis illa fuit, quae in favorem consilii eligendi Condaeum regem Poloniae, vivo adhuc Joanne Casimiro, Olivae a. 1660 facta est. Carolus Gustavus nullum fidiorem habuit socium, quam artificia Mazarini!

Ubi enim copiae Austriacae Poloniam ingressae sunt, Gallia omnibus artificiis utebatur, ut Austriam auctoritate privaret, quam illa cum Republica juncta in rebus Polonicis obtinebat²⁵). Quod eo modo potissimum perfecit, ut Poloniam ad faciendam cum Suecia tunc omnibus partibus oppressa pacem permoveret. Conciliata autem sibi Maria Ludovica, ab infirmo Joanne Casimiro quaecunque vellet facile impetrabat.

Populorum historia si quid, hoc certe quam maxime probatur, bello segniter gesto multo majora inesse incommoda quam graviter strenueque gesto maximisque cum vastationibus conjuncto. Quamdiu certamen ortum non est, cunctari deliberareque licet, sin hostis terram ingressus est, semper vexandus est, ut quam celerrime ex ea pellatur.

Exercitus Austriacus, postquam Poloniam intravit (a. d. XII. Kal. Jul. a. 1657.) pulsus Cracovia Suecis (a. d. XI. Kal. Sept. a. 1657.) secundum pacificatoria illa Galliae²⁶) consilia nihil fere

²⁴) Rudawski p. 337. Foedus inter Daniam et Poloniam constitutum est a. d. V. Kal. Aug. a. 1657. (Rud. p. 371—373.)

²⁵) Relazione dell' ambasciata straordinaria alla Corte di Francia fatta dall' Ecc. Sr. Gio. Battista Nani, letta in Senato l'anno 1661 (in ephem. Il Saggiatore giornale Romano di storia etc. etc. da A. Genarelli e P. Mazio T. II. 1844. p. 21.): „E vero che si è la Corona acquistato merito col procurare la pace, ma non ebbe altro oggetto che di scansare una guerra difficile e lunga, nella quale dubitava impegnarsi e disciogliere quella unione che Cesare teneva con la Polonia, con Danimarca e con Brandenburg che lo rendeva grandemente temuto“ etc.

²⁶) Koch. II. p. 257. 258. Rudawski p. 388. Terlon, Mém. I. p. 81. „et que j'avois vu par les Depesches et par ce qui s'estoit passé

agebat²⁷⁾: — quis ergo mirabitur, Polonos brevi tempore tale auxilium detestatos esse? Neminem profecto invenires, qui vel optimum socium frustra sustentaret, — quanto minus, si ultro citroque querimoniae de violentis facinoribus jactantur! Artificia factionis Gallicae aulam, senatum, nobiles contra eos, qui Rempublicam exhauriebant, adeo incitabant, ut nonnunquam timerent, ne bellum cum Austria inde oriretur²⁸⁾. Interea tamen Joannes Casimirus, paci intentus, bellum cum Suecorum reliquiis in Borussia segniter gerebat ac deliberabat, quo intercedente pax cum Suecia fieret. Post multas controversias, labores, machinationes, ad aulam Gallicam hic honor et auctoritas magna cum Austriae indignatione²⁹⁾ majoreque Reipublicae incommodo est delatus.

avec ce Prince, que V. M. (Ludw. XIV.) souhaitoit cette paix avec passion“ etc. cf. p. 83.

²⁷⁾ Węslawski, Vincentius Corvinus Gosiewski. Viln. 1691 pg. 95. „Rex quoque Poloniae, Joannes Casimirus nova et mira tunc circa electionem Condae, se vivente instituendam, invita Republica arripuit consilia, potius quam belli promovendi.“ Gordon I. p. 109. 110. 113. 144—145. Koch. II. p. 254—256.

²⁸⁾ Kochowski Clim. II. p. 267. 268. 306. „Provinciis indisciplinae militis educationem adeo sollicite urgentibus, ut prope vim minarentur“ cf. Rudawski p. 404. 405. — Portof. Maryi Ludwiki T. II. 141. Quod ad auxilium Poloniae ab Austria latum pertinet, diversae scriptoribus nostris sunt sententiae. Alii ut Rudawski (p. 398.) ipsum justo pluris aestimant haud parvo honoris populi detrimento, major pars moram tantummodo vel ignaviam Austriacorum conqueritur et indignatur, quod Austriaci plus panis consumsissent, quam quo digni fuissent. Nobis autem auxilium Austriacum Poloniae profuisse videtur, et arbitramur illud fuisse prosperum, sed non fructuosum; nam tum venit, quum aula Polonica pacis desiderio flagrare coepisset. Idem sensit Angelo Carraro (Relation de la Cour de Rome, fait l'an 1661 au conseil du Pregadi par l'Exc. Sré Angelo Carraro ambassadeur de Sereniss. République de Venise auprès du Pape Alexandre VII. Leide. 1663 p. 121. 122.) de missa ab Alexandro papa in Joannis Casimiri auxilium pecunia.

²⁹⁾ Koch. II. p. 258. 276. Rud. 398. 399.

Quae omnia facta sunt propter illud, quod semel in medium allatum erat consilium!

Joannem Casimirum undique oppressum ipso regno se abdicare voluisse dummodo Reipublicae tutorem reperiret, vidimus, commemoravimus porro vanos fuisse omnes ejus conatus, demonstravimus deinde, non alieno auxilio sed populi genio Reipublicam servatam esse; ex omnibus tamen, quae Joanne Casimiro regnante usque ad a. 1656 in Polonia facta sunt, populus nondum persuasum sibi habuit, sed suspicatus tantum est, Joanni Casimiro regni gloriam cordi non esse, sed jam illum, quum ipse rebus non sufficere sibi videretur, de regni successore cogitare³⁰⁾. Quomodo enim praecocia illa ac varia artificia et curae intelligi possent, quae populum ea de causa agitent, quod Joannes Casimirus, ultima gentis Jagellonicae proles, nec prolem haberet nec habiturus esse videretur: — in Polonia saeculi XVII. in Polonia illa, ubi crimen laesae majestatis habebatur, vivente rege de successore cogitare³¹⁾ ubi ex optimatum sententia omnis Reipublicae salus inde pendere videbatur, ut nobilitas in creando rege tumultuari posset, — in Polonia illa, inquam, tot curae et artes propter „successorem“? Sive quod Joannes Casimirus nullam prolem habuit, sive, quod Lithuani „inepte“ consilium vivo Joanne Casimiro principem Moschorum successorem designandi ceperant, quo pax inter Poloniam et Moschiam fieri potuit³²⁾, utrum haec an alia causa fuerit, cur Respublica jam mature futurum regem

³⁰⁾ Christophorus Opaliński, Palatinus Posnan. jam a. 1655 ad electorem Brandenburgicum scripsit haec: „multa apud ipsos (sc. Polonos) non malitia, sed quadam nescio improvidentia, an negligentia agi: tum et animum Regis non semper ad negotia intentum, et quid, quoque modo agatur disponaturque, subinde incuriosum esse.“ Sam. Pufendorf, de rebus gestis Fr. W. lib. V. § 17.

³¹⁾ Vol. leg. II. fol. 897 et fol. 1397.

³²⁾ Rudawski p. 284: „Et certe longe melius, lapsis in pejus

designare studeret, difficile probari historia potest; sed id certum utique est a. 1656 scripta Italica: „de creando novo Polonorum rege“ in lucem prolata esse³³). Inter propositos candidatos eminebant: Leopoldus Guilelmus, archidux Austriacus; Alexius Michalowicz, magnus dux Moschorum; Georgius Racocius, dux Transsylvaniae, Fridericus Guilelmus, elector Brandenburgicus. Commemoratis praeterea commodis, quae quemlibet ex petitoribus illis sequerentur Rudawskius brevem hanc mentionem sufficere arbitratus est. Nescio utrum Rudawskius, quod sciret, hoc loco praetermiserit dicere, an id modo reticuerit, quod scire non poterat; sed nullo pacto cum eo consentire possumus, mentionem illam ad intelligendas multas res, quae tunc gestae sint, sufficere; nescimus enim, unde et a quibus praecox illa cura successoris eligendi profecta sit.

Mariae Ludovicae ingenium moresque describentes jam mentionem Annae sororis ejus fecimus. Quantum ista in quaestione, quam nobis tractandam elegimus, valuerit, quoniam minus notum est nobis, quam ut accuratius eam contemplemur, — sufficet dixisse, Annam non solum parem Mariae Ludovicae fuisse, sed etiam interponendo se in res publicas illa superiorem³⁴). Anno 1645 Eduardo duci Bavarico Comiti Palatino Rhenensi nupsit, cujus pater Fridericus V. initio belli triginta annorum rex Bohemiae creatus haud multo post regno illo a Ferdinando erat pulsus. Quo ex matrimonio tres natae sunt filiae, quarum major natu duci cuidam Germanico nupsit, minor natu maxima

Lituanis rebus solus tunc ingenio suo consulisset Allegretti, si per ipsos Lituanos licuisset Legatos, qui statim primo in limine successionis mentionem inepte et sine causa Moschorum injecerant deputatis.“

³³) Rudawski p. 322. 323.

³⁴) Retz, Cardinalis talem in memorabilibus suis sententiam de ea dixit: „Madame la princesse palatine estimait autant la galanterie, qu'elle en aimait le solide. Je ne crois pas que la reine Elisabeth d'Angleterre ait eu plus la capacité pour conduire un état. Je l'ai vue dans la fac-

Mariae Ludovicae materterae cura utebatur ³⁵⁾. Sive affinitate ³⁶⁾ et praesertim amore quodam familiari ducta ³⁷⁾ sive voluntate splendoris nominis Gonzagarum augendi, ex fictis quibusdam rationibus publicis ³⁸⁾, Maria Ludovica studiosissime id contendit, ut filiae sororis coronam Polonicam, quasi hereditatem conservaret.

tion, je l'ai vue dans le cabinet et je lui ai trouvé partout de la sincérité." Domina Motteville scribit de ea: „Elle avoit de l'adresse, de la capacité pour conduire un intrigue, et une grande facilité à trouver un expédient pour parvenir à ce qu'elle entreprenait." cf. Marolles. T. I. pg. 313. T. II. pg. 214.

³⁵⁾ Kochowski Clim. III. p. 24. 25

³⁶⁾ Pufendorf Fr. W. IX. p. 15.

³⁷⁾ In litteris Mariae Ludovicae ad Choisy scriptis d. d. Glogov. a. d. XI. Kal. Apr. a. 1656 legimus: „nisi regi Sueciae fortuna prospera erat, nullo modo in Regno aut Lithuania manere poterit. Moschia jam urbes nonnullas, quae in possessione ejus fuerunt, cepit Re vera, bellum adeo me fatigavit, ut ipsum jam ferre non possim. Quaecunque erit, pacem opto, quae mihi otium reddat. Quum mihi non sint liberi, quid me juvat?" (Bibliot. Warsz. 1851. m. Aug. p. 195.) cf. Koch, l. c. Załuski Epistolae hist. fam. T. I. pg. 151.

³⁸⁾ Sam. Pufendorf. Fr. W. X. §. 65 „Eadem (Mar. Ludw.) statim atque Vladislao Regi desponsata fuerat, et antequam adhuc Luetitia excederet, de Regno Poloniae ex electio in hereditarium convertendo animo conceperat; quo fine jam tum cum Mazarino aliisque suis amicis consilia miscuerat Poloniae magno constitutura." Caillet apud Sieńkiewicz, Skarbiec hist. pol. I. pg. 362.: „Reginam jam diu tumultuum et licentiae vehementer taeduit et jam ante belli initium cum Optimatibus deliberare coepit, quomodo huic rei occurrendum, ac comitia consiliaque reformanda essent." — Ib. pg. 363.: „Praeter commodum familiare collocandae in matrimonio sororis filiae, hoc maxime spectabat, ut potestatem regiam in Polonia confirmaret ac licentiam coerceret." — Ib. pg. 369.: „Eo modo tantum" (in electione successoris vivente rege) „firmius regimen institui et externam aliquam claram expeditionem, quam regina suscipi posse putat, maxime optat." — In litteris Mariae Ludovicae ad Choisy datis etiam multum conqueritur de infirma potestate regia in Polonia, in quibus voluntatem coercendae effrenatae licentiae videmus. (Bibliot. Warsz. 1851. mens. Aug. pg. 201.)

Nimia Mariae Ludovicae imaginatio, expleto superbiae suae desiderio, filiam sororis jam paene Polonorum reginam vidit, sed nondum rex inventus fuit. „Robustae vasti ingenii Reginae vires,“ dicit Vespasianus a Kochow Kochowius³⁹⁾, rationem repererunt, mariti et simul regis pro sororis filia inveniendi: omnis ex principibus coronam Polonicam appetentibus, secundum consilium ejus vivo adhuc Joanne Casimiro successoris designandi regnum adipisci potuit, sed his tantum conditionibus, ut sororis filiam ejus in matrimonium duceret. Hic mihi nervus totius consilii designandi successoris rege vivente primus fuisse videtur, quicunque autem alia in eo animadvertere voluerunt plus minusve eventus respexerunt, qui electionem illam sequi potuerint. Errant, qui id consilium „consilium restaurandae regiae potestatis in Polonia“ dicere voluerunt; errant etiam, qui hoc consilium scilicet ut rebus tantum familiaribus utile in contemptum vocarunt. Quae elementa aliis aliam temporibus in hoc consilio vim habuere, sed dici nequit, alterum aut alterum solum illo spectatum esse.

Quando consilium illud Mariae Ludovicae perfectum sit, difficile ex historia statui potest, illud tamen eo tempore factum esse mihi videtur, quo Respublica confederationis Tyszoviecensis studiis excitata, se erigere coepit, h. e. extrema a. 1656 et prima a. 1657 parte⁴⁰⁾.

³⁹⁾ Climacter III. p. 24.

⁴⁰⁾ Omnia, quae adhuc commemoravimus, effecerunt ut Joannes Casimirus in omnes partes coronam venalem proponeret, quam Maria Ludovica pro familia sua non optaret? Minime quoque dubitavisse videtur quin cum tot principibus, qui Poloniae regnum ambibant, contenderit. Georgius Sebast. Lubomirscius, in „Manifesto“ suo (Publicae innocentiae Manifestum deo, mundo, patriae per D. Georg. Seb. Lubomirski etc. bonoque publico porrectum 1666 in Diario Europaeo T. XIII. Appendicis tripartitae pars III. p. 77) dicit: illud consilium „sub obtentu Boni emersit.“ Quod si sequentia spectamus nullam apud nos relinquit dubitationem quod attinet ad tempus, quo id consilium ortum sit,

Quae quoniam scimus, minus nostra interest, quis fuerit ejus auctor, — utrum Maria Ludovica ipsa, an Boguslaus Leszczyński, magnus regni Subcamerarius⁴¹⁾; animos nostros advertamus potius ad eos, quos consilium perfecturos esse Maria sperabat.

Maria Ludovica „prima Caroli archiducis successoris designandi consilium cepit, quum hunc unam ex sororis filiabus in matrimonium ducturum esse speraret“. Quam rem serio aggressa effecit, ut initio a. 1657 Boguslaus Leszczyński, Subcamerarius regni, Vindobonam missus successionem regni Polonici Imperatoris fratri offerret⁴²⁾. Molestissimae Reipublicae

praesertim quum indicia aliorum scriptorum cum narratione Lubomirscii comparemus. Załuski (Epistolae hist. fam. I. p. 151) scribit: „Lubomirscium jam praeoccupaverat impetratio armorum, minore praefectura, morte Lanckoronii vacante non sine injuria Czarnecii sed Lubomirscius magno pretio alliciendus et obtinendus“ (cf. Caillet l. c. p. 373. 379. 380) A Kochowskio (Clim. II. pg. 207) scimus, Lubomirscium campiductorem factum esse mens. April. a. 1657 (cf. Rud. pg. 329), patet igitur, jam prius illud consilium agitatum fuisse. — cf. Pufendorf Fr. W. IX. §. 44.

⁴¹⁾ Załuski l. c. p. 150. dicit, Boguslaum Leszcynski, Subcamerarium regni, hoc consilium reginae supposuisse. Koch. Clim. III. pg. 24. 25. hoc in machinationes Gallicas et nimium amorem Mariae Ludovicae erga Galliam confert. Caillet ipsi reginae hoc adscribere videtur. Pariter Rudawski (pg. 346.) et Lubomirscius (Manifest. l. c. pg. 78.) Galeazzo Gualdo Priorato (Historia di Leopoldo Cesare, Continente le cose piu memorabili successe in Europa dal 1656—1670. Vienna d'Austri. 1770. T. I. pg. 540. 541. 542.) de initiis consilii eligendi successoris vivente rege narrans incertam tuetur opinionem. — Francisc. Wagner (Historia Leopoldi Magni Caesaris Augusti Aug. Vind. 1719. T. I. pg. 197.) Mariam Ludovicam auctorem hujus consilii fuisse putat, sed ex tota ejus narratione plena elegantium verborum intelligitur illum de hac re parum compertum habuisse.

⁴²⁾ Caillet, Mem. apud Sieńkiewicz, Skarb. hist. Pol. T. I. pg. 362. 363. Rudawski (pg. 346.) arbitratur jam Miaskowskium, etiam a. 1657, sed prius quam Leszczyński Vindobonam missum (pg. 329.) mandatum a regina accepisse: „cujus (Ferdinandi III.) filio Leopoldo I. Hungariae tunc Regi, offerebat neptis suae amores.“

conditiones foederis inter Imperatorem Leopoldum I. et Poloniam facti (a. d. VI. Kal. Jun. a. 1657) multo melius explicari possunt, quod Maria Ludovica omni modo aulam Vindobonensem in suas pertrahere partes studuerit, quam statu politico, in quo Polonia illo tempore versata est. Quod Cracovia, Posnania, Thorunum omnesque majores urbes, in quibus Austria usque ad belli finem praesidia teneret, quasi pignora Austriacis concessae sint, id maxime spectare videtur, ut tempore comitiorum facilius ad creandum Imperatoris fratrem Polonorum regem in auxilium vocari possent⁴³). Inde elucet, Mariam familiare tantum commodum spectasse et salutem Polonorum et restaurandam in Polonia regiam potestatem minime curasse. Qua re factum est, ut quum illius matrimonii consilium nihil boni sperari jussisset, Austriae auxilio exprobrari coepto⁴⁴), Maria Ludovica ipsa sororis filiam felicem redditura, animum suum ad alia applicaret.

Wydźga dicit „ingenuum animum“ reginae vel tantam calamitatem, quanta fuerit Racocii in Poloniam ingressus, bene vertere voluisse, reginam enim rationes tenuisse, quibus eum a Suecis se abalienaturam esse speraret⁴⁵). At quae fuerint illae rationes reginae laudator non dicit: — scimus tantum, Mariam Ludovicam non optasse, „ut Racocius in Polonia periret“ et omnia eam esse

⁴³) Caillet l. c. pg. 363. dicit, „reginam hoc consilium cepisse, sed non sinceram aulae Vindobonensis rationem reginam ab illo proposito revocasse.“ Perlecto illo pacto (apud Du Mont, Corps diplomatique J. VI. 2de. partie p. 179—182.) videmus ea, quae Caillet consilium reginae fuisse putet, certam Reipublicae pactionem fuisse. Cf. Wydźga, Opisanie poważniejszych rzeczy w czasie wojny szwedzkiej 1655 — 1660 apud Wojcicki, Biblioteka starożytna pisarzy polskich T. V. pg. 184. 185. 186. cf. etiam Pufendorf. Fr. W. VIII. §. 44.

⁴⁴) Rudawski pg. 347: „Auditae sunt saepius in ore Reginae exprobrantis voces coram quibusdam Polonis Austriacis faventibus repetitae: Ite damnatae ad servitutem animae, mox futuri apud Viennenses ludibrio, quod nunc de facto ipsi experiuntur Hungari“.

⁴⁵) Wydźga l. c. p. 182.

expertam, ut cum eo potius pactis, quam armis rem ad finem perduceret; ejus enim ruina Turcis viam in Transsylvaniam patefactum iri, ita ut Polonia totaque Christianorum respublica in majus discrimen adducerentur, sin Racocius conciliari potuisset, Suecis non solum Cracovia sed etiam ex Borussia esse decedendum. Quo consilio reginam adeo occupatam esse, ut de eo „vel venustum dialogum magnarum sententiarum plenum scriberet“⁴⁶⁾.

Aliunde autem scimus, illud Mariae consilium natum esse ex spe, Racocium in omnes partes vexatum paratiorem se praestitutum esse, qui ipsius consiliis satisfaceret, quam Imperatorem, et facile ad id permoveri posse, ut ipsius filius filiam sororis reginae in matrimonium duceret⁴⁷⁾.

Attamen artificia, quibus regina illam ob causam utebatur, acerbum Racocii casum impedire nequiverunt, qui expeditionem ejus propter coronam Polonicam factam secuturus esset; quamquam enim a clade, quam ei Lubomirscius a Carpathibus, Potockius Leopoli, et Czarnekius Cracovia progressuri minabantur⁴⁸⁾, Johannes Casimirus vel potius Maria Ludovica eum liberavit, utroque duce jusso „ut cadenti parcerent,“ historiam enim documento esse, acerbissimum hostem venia data fidelissimum fieri socium⁴⁹⁾; quamquam, dico, his mandatis Racocius manifesta liberatus est pernicie, calamitatem tamen a copiis suis avertere non potuit. Vix dum enim Racocius certis conditionibus de deditioe pactus erat, (a. d. X. Kal. Aug. a. 1657) quibus foedere cum Suecis facto rupto a Polonorum rege ordinibusque Reipublicae veniam precari obstringeretur, vix propter Tartarorum adventum timens, ut cum

⁴⁶⁾ Ibidem p. 183.

⁴⁷⁾ Rudawski pg. 346. Grondski pg. 413—419.

⁴⁸⁾ Gordon I. pg. 101. 102. Grondski l. c. Terlon. T. I. pg. 63. Koch. II. pg. 233 sqq.

⁴⁹⁾ Kochowski Clim. II. pg. 224. Exemplum adhibitum est in illo jussu simile factum inter ducem quendam e Gonzagarum familia et rempublicam Venetam — cf. Rud. pg. 346.

incolumibus copiis domum redire posset, armorum Polonicorum praesidio in Transsylvaniam reversus erat, quum Tartari appropinquarunt et adversus Lubomirscii et Potockii conatus totum Racocii exercitum delerunt (a. d. III. Id. Aug. a. 1657)⁵⁰).

Talis expeditionis a Racocio susceptae exitus omnes Mariae Ludovicae spes praecidit quidem, sed consiliorum fontem non exhausit et quo magis novae electionis quaestio in lucem proferebatur, eo plures exstiterunt Polonicae coronae petitores ut tota haec res aulae tantum esse consilium jam desineret: agitationes ex rationibus quam maxime variis ortae, etiam a Republica sentiri coeptae sunt, quamquam non satis manifestae.

Electo Brandenburgico, qui multos in Polonia habebat amicos, fructum inde percipere non studuit, sed regnum ut nemini obnoxium sua causa redderet operam dedit, quod inter Rempublicam et Imperium incolume stare posset: consilio aulae Polonicae animum ejus ita tantum occupari videbatur, ut fortem regem in Poloniae solio esse nollet et aegre ferret, si quis de Habsburgorum domo Polonorum regnum adepturus esset⁵¹). Austria libenter ad familiae Habsburgicae principem Poloniae regnum transtulisset: — animad-

⁵⁰) Kochowski II. pg. 225. singulare pactum Transsylvanorum et Polonorum Tartarorumque confudit— et in pactionem Transsylvanorum cum Polonis factam ea intulit, quae demum Transsylvani Tartaris promiserunt. Cf. Gordon T. I. pg. 102. 103. 104. 109. Rudawski pg. 343. Grondski pg. 421. 422. Jemiowski pg. 126. 127.

⁵¹) Sam. Pufendorf Fr. W. IX. §. 13. cf. §. 46. ex quo intelligimus, pactum quoque Brombergense adjuvante consilio reginae constitutum esse. Cf. Portof. II. 138. cf. A. Olszowski, Censura Candidatorum sceptri Pol. „Recedere postremo a Suecis maluit (sc. Elector) cum illis alea belli adversum caderet, sed irreparabili damno et detrimento nostro, quippe multis artibus et factionibus, favore Reginae, nonnullorum quod dicere nolo —: Austriae promotione (Isolâ suffragium electorale ad Coronam Imperatoriam Bidgostiae conciliante), Supremum Borussiae Dominium summas ingentes et turbido cepit atque extorsit.“

vertenda solum sunt nobis promissa, quae aula Vindobonensis hac in re Mariae Ludovicae fecit ⁵²⁾, ut persuasum habeamus, quantum ejus interfuerit, coronam Polonicam ad Habsburgos deferri: — sane haec melior praeda fuisset, quam Bohemia vel Ungaria. Omnia tamen artificia Lisolae legati Austriaci evanuerunt, postquam ex interceptis litteris ejus ad Imperatorem scriptis cognitum est, Carolum archiducem Mariae Ludovicae sororis filiam ducere in matrimonium nolle, sed verbis tantum reginae desiderio carissimo satisfacere ⁵³⁾.

Offensa familiaris Mariae Ludovicae superbia, offensum mulieris ingenium, studium, quo semel captum consilium exsequeretur, perfacile in Galliae partes Austriae „minime sinceræ“ periculosissimas eam perduxerunt. Jam a. 1657 „Maria Ludovica Galliae persuadere coepit, ut Condaeus princeps, aut filius ejus, aut quicumque filiorum principis Longueville regnum Polonorum assequi studeret“ ⁵⁴⁾. Priora jam vincula eam ad id impellebant, gloria autem bellica fortissimi Condae, dignitas Bur-

⁵²⁾ Sam. Pufendorf Fr. W. IX. §. 10.

⁵³⁾ Sam. Pufendorf Fr. W. IX. §. 10. „Qui (Lisola) tamen mox fidem decoxit, postquam ex interceptis litteris patebat, ipsum Caesari scripsisse: Archiducem Carolum proponendum et nuptias neptis Reginae ambiendas; sed intra quadriennium, quo spatium opus sit ad consumendum matrimonium, non defore occasionem sponsalia dissolvendi“. Cf. Caillet l. c. p. 363. Vide quoque ea, quae Victor Cousin (Madame de Sablé, études sur les femmes illustres et la société du XVII. siècle. Paris 1854 pg. 403. 404) de iis rebus attulit.

⁵⁴⁾ Epistola scribae Mariae Ludovicae d. d. a. d. XVII. Kal. Oct. a. 1658. Portof. Mar. Lud. T. II. pg. 174: cf. Lubomirski, Publ. innocentiae Manifestum l. c. p. 82. quo dictum est: „praeparatiora vero ad idem“ (sc. electionem successoris vivente rege) „per annos aliquot agitata in Convocatione Varsaviae“ (m. Febr. a. 1658) „Posnaniae“ (a mens. Nov. a. 1657 usque ad finem mens. Jan. a. 1658. Portof. II. 135. 156.) „in castris Thorunium, ubique et continuo“ etc. Pufendorf Fr. W. IX. §. 44.

bonorum et sanguis, ex quo Condaeus ortus erat⁵⁵⁾, animum Mariae Ludovicae quam maxime irritabant, familiari superbiae Gonzagarum blandiebantur et ad consilia capienda eam permovebant, quorum eventus ipsa providere nequivit!

Communis Europae status illa aetate talis fuit, ut aemulatio infestarum sibi inde ab omni tempore aularum vehementius quam alias excitari coepta esset. Summum momentum, in quo gravissimae omnium Europae aularum machinationes versabantur, fuit sine dubio bellum Polonico-Danicum gestum illud partim a Polonia, Austria, electore Brandenburgiae et Dania, contra Sueciam arcto quidem foedere cum Gallia junctam sed a Moschis valde sollicitatam. Gallia omni modo contendit, ut consociatam cum ipsa Sueciam iniquissima conditione liberaret, sed diu ejus conatus erant irriti. Pactio enim cum Cromvello (a. d. VII. Maj. a. 1657) facta, quae non solum prohiberet, ne Dania Carolo Gustavo bellum indiceret, sed etiam Carolum contra Rempublicam Polonicam⁵⁶⁾ adjuvare statueret, minime impedit, quominus bellum Danico-Suecicum moveretur. Nihilominus aula Gallica bene intellexit, unicum Sueciae salutem in eo positam esse, ut pax inter respublicas septentrionales fieret; eamque ob

⁵⁵⁾ Vide *Mémoires pour servir à l'histoire de la maison de Condé*. Lord Mahon (*The life of Louis, Prince of Condé, surnamed the Great Lond. 1845.*) tantum ea quae post Joannis Casimiri abdicationem in novi regis electione contra Condaeum a Polonis erant prolata commemoravit.

⁵⁶⁾ Du Mont, *Corps diplomat. T. VI. 2de partie pg. 178: „§. XIII. Et comme le Roi de Danemarck, selon qu'il le laisse assez appercevoir, commence à se declarer ouvertement contre le Roi du Suède, le menaçant de lui tomber sur les bras avec une Armée, sadite Majesté T. C. et ledit Seign. Protect. promettent d'employer tous les moyens possibles de s'opposer audit Roi de Danemarck, de rompre ses desseins et d'assister le Roi de Suède dans les siens et de le défendre, et de lui aider aussi dans son entreprise contre la Ville de Dantzic et le Roi de Pologne.“*

rem interea id assequi laborabat⁵⁷⁾. Quamquam Poloniae salus, ut illud longinquum bellum graviter gereretur, poscebat, hostium tamen, qui Reipubl. terras adhuc vastabant, Poloni obliti spem propinquae pacis alebant. Ac machinationes Gallicae perfecerunt, ut Joannes Casimirus non solum ad restituendam quam celerrime pacem inter Sueciam et Rempublicam adductus, sed etiam Ludovico XIV. pacis intercessore usus esset (mens. Jan. a. 1658)⁵⁸⁾. Quo facto Austria valde offensa, „ingratum regis Polonorum animum“ conqueri coepit; sed quid fieri potuit quum fatalis quaedam vis Reipublicae voluntatem agendi obstringeret? Utrum consilium Mariae Ludovicae quam celerrime exsequeretur necne ex restituenda inter Sueciam et Poloniam pace magna parte pendebat; quam ob rem incredibili studio ac diligentia operam dabat, ut et quam celerrime pax conciliaretur⁵⁹⁾ et ut quam plurimos nobilium in

⁵⁷⁾ Du Mont l. c. p. 244.: *Traité entre Louis XIV. Roi de France et Richard Cromvel, Protecteur d'Angleterre pour parvenir aux moyens de procurer la paix entre la Suède et le Danemarck, à Westmunster le 3. Fevr. 1659. §. VIII.*: „Et parce que l'alliance par laquelle le Roi de Danem. semble uni avec le Roi de Pologne et l'Electeur de Brandenbourg, pourroit causer de nouvelles difficultés et de nouveaux retardemens audit Traité, on donnera aussi ordre aux Ministres de France et d'Angleterre qui resident près desdit Princes, de travailler avec un semblable diligence à procurer la paix entre lesdit Roi de Suède et de Pologne et l'Elect. de Brandenbourg, afin qu'on puisse rendre une paix plus ferme dans ces Pais Septentrionaux, et retablir entièrement la liberté de Commerce“. Cf. *ibid.* p. 252. §. VIII.

⁵⁸⁾ Rud. p. 398. 399. Koch. p. 276.

⁵⁹⁾ Maria Ludovica a. d. VIII. Kal. Maj. a. 1658 Posnaniae ad legatum Gallicum apud aulam Suecicam Terlon scribit, intelligere se ex litteris ejus ad Lumbres (legatum Gallicum apud aulam Polonicam) scriptis, regem Sueciae paratum ad constituendam pacem se praestare, „et qu'il auroit quelque considération pour les choses qui lui seroit proposées de ma part: Si je me le pouvois persuader aussi facilement que je trouve de difficulté à le croire, je souhaiterois de lui, que vous parlant sincèrement il declarast ses dernières prétentions, pour

suam adduceret sententiam; itaque a. d. XVII. Kal. Oct. a. 1658⁶⁰ scribaejus, de Noyers, Parisios nuntiat, „factionem Gallicam electionem successoris agitantem jam esse firmiorem Austriaca, quum regina omnes exercitus duces summosque Reipublicae magistratus sibi conciliasset, qui suffragia ipsi promisissent“⁶⁰); ac mense Nov. a. 1659 Bruxellis legatos legimus profectos qui Condaeo Polonorum regnum offerrent⁶¹).

Quod reginae consilium priusquam perfici potuit multae difficultates superandae erant; ne quid enim de nobilium oppositione, quae fuit exspectanda, dicamus, aemulatio tamen Habsburgorum et Comitis Palatini Neoburgici, qui Polonorum regnum adipisci studuit, haud parvum fuit impedimentum.

Comitem Palatinum Neoburgicum et affinitas cum familia in Polonia regnante contracta commendabat Reipublicae (duxerat enim in matrimonium Constantiam, Sigismundi III. filiam, sororem Joannis Casimiri), et consilium morientis Vladislai IV., qui eum successorem suum commendavit. Itaque Comes Palatinus multis utebatur artificiis, ut regnum Polonicum adipisceretur, eamque ob causam Leradum

conclure une bonne paix“ . . . in fine litterarum addit: „Je sçai que le roi vostre Maistre souhaite ce le repos du Nord, et que Mr. le Cardinal Mazarin y travaille avec grande affection“. (Terlon I. pg. 92.). Exeunte a. 1657 scripserat Maria Ludovica ad Terlon: „Il (Akakia) vous dira que je la (paix) désire sur toutes choses. Et je vous prie d'y vouloir contribuer en ce qui dépendra de vous. Cependant soyez certain que je cherirai (!) les occasions qui me donneront les moyens de vous témoigner l'estime que j'ai pour votre personne et pour votre merite“. — (Terlon I. p. 82. cf. Koch II. p. 257. 258.)

⁶⁰) Portof. Mar. Lud. T. II. p. 174. Caillet l. c. p. 363.

⁶¹) Mémoires pour servir à l'histoire de la maison de Condé (publiés par de Sevelinges) Paris 1820. T. I. p. 170. 171. cf. Historia di Leopoldo Cesare, Continente le cose piu memorabili successe in Europa dal 1656—1670 descritta dal Co. Galeazzo Gualdo Priorato T. I. lib. V. 542. Pufendorf Fr. W. IX. §. 44.

Parisios misit, qui a Ludovico XIV. auxilium peteret, et declararet: „majus pondus habiturum officium Galliae, si pro tertio et extraneo, quam pro Condae filio laboretur, et quod majus sit, pro vicino cujus ope Gallia in Germaniae negotia altius se penetrare queat“⁶²⁾ : Quam ad petitionem Comitum Palatini Mazarinus libenter accessisset, nam aegre ferebat, quod Condae filium aut ipsum Condaeum inimicissimum ipsius adversarium, corona Polonica exornatura esset; sed difficile fuit pertinaciam frangere Mariae Ludovicae, quae non tam regni salutem curabat, quam ut sororis filia Polonorum regina fieret; at Comes Palatinus jam provecta aetate et connubio junctus erat. Inimicitiae igitur ipsius Mazarini in Condaeum publico commodo cesserunt; nam aperte Comitum Palatinum Neoburgicum adjuvans aula Gallica et studium Mariae Ludovicae eligendi successoris vivente rege debilitasset et Eduardi Comitum Palatini Rhenensis animum sibi abalienasset, per quem non parum in rebus Germanicis valuit. Qua re Comiti Neoburgico nulla antea fide data dictum est, ex omnibus peregrinis principibus eum primum Galliae auxilium sperare posse⁶³⁾.

Reliqui coronae Polonicae petitores — sunt enim praeterea quinque⁶⁴⁾ — quamquam omnibus artibus utebantur, validam

⁶²⁾ Pufendorf Fr. W. IX. §. 10.

⁶³⁾ Idem. Cf. Relazione dell' ambasciata straordinaria alla Corte di Francia fatta dall' Eccell. Sr. Cavaliere Gio. Battista Nani l. c. p. 23 . . . „se veramente li Polacchi risolvono di volere eleggere successione (!), il loro re vivente, sara' questo de' maggiori negozii che attracha meritamente ad ogni vantaggio degli Austriaci, sosterra' l'esperienza del duca di Neoburgo, e promovera li pensieri del principe Condé, quando pero la Corona sia per cadere sopra di lui, e non in testa del figlio, perche non si verrebbe, che destinato il duca di Anghiem (!), Condé restasse in Francia con li beni, cariche e governi che gode, ed in oltre con l'esterno fomento di un re suo figliulo“.

⁶⁴⁾ Pufendorf Fr. W. IX. §. 10.

sibi factionem parare nequiverunt, hanc ob causam ad artificia consilii successoris eligendi parum habuerunt momenti. Duae solum factiones, Gallica et Austriaca primum in omnibus illis agitationibus locum obtinent.

Certamina aulica duarum inimicissimarum sibi contentionum Galliae et Germaniae in assequendo Europae principatu aspero et immodesto Alexio Michałowicz, Magno duce Moschorum, interdum irritabantur, qui jam addito sibi Polonorum regis nomine coronam illam exposcebat ⁶⁵⁾. In ipsa Republica praesertim Lithuani ⁶⁶⁾ loqui de potentia nominis Slavici inceperunt. Unjversales litterae comitia a. d. VI. Id. Jul. 1628 convocantes dicunt: „Quam nihil in votis antiquius aut desiderii optabilius habuerimus, prae amica cum Magno Mosch. duce conciliatione, imperiique ejus cum Poloniae regno coalitione, vel sola Vilnae transacta commissio boni affectus nostri luculentum omnibus praebet testimonium. Etiam nunc ad retinendam cum eadem gente amicitiam, consummandumque utriusque imperii unionis opus stimulus et motivum exstilit, ut comitia ordinibus regni nostri generalia Varsaviae in praesens indiceremus; in quibus cum eodem principe ac vicina Moschorum natione, ex uno eodemque sanguine et originis Slavonicae fonte nobiscum procedente, religione, idioma, moribus vix in paucis difformibus, in confusionem invidorum universo Slavonico nomini vicinorum, perpetua pax, conjunctio ac firmum unionis foedus coalesceret instituereturque“ ⁶⁷⁾. Quae litterarum universalium sententiae satis quidem non expresserunt, qualis Reipublicae esset animus in Moschiam, sed ad consilium electionis ita valuerunt, ut Sueciam cui possessionum ad mare Balticum silarum detri-

⁶⁵⁾ Koch Clim. II. p. 294.

⁶⁶⁾ Pufendorf Fr. W. VII. §. 75.

⁶⁷⁾ Koch Clim. II. p. 293.

mentum imminebat, ad tempus magis etiam cum Gallia jungerent ⁶⁸⁾.

Quibus principiis quam maxime variis inter se contendentibus, singulari quum opus erat prudentia, qua manifesti certaminis initium feliciter reprimeretur; tum difficile fuit cuivis illarum quas diximus factionum gratum quidquam facere. Maria Ludovica „quae in consilio ad finem perducendo“, dicimus consilium eligendi Ducis Angiani, filii Condaei, connubioque cum eo conjungendae sororis filiae tanquam gloriam suam atque auctoritatem niti putabat ⁶⁹⁾, jam indignabunda, quod perficienda consilia tam diu differrentur, hac difficultate minime deterrita est; sed semper adjumentorum et rationum plena consilium iniit, quod paene feliciter evenisset.

Unaquaeque quidem factio bene sciebat, non ex se una pendere, ut successor vivente rege designaretur, sed ex omnibus, penes quos esset regem creare: tota autem nobilitas in hoc consilium adduci brevi hoc tempore non potuit. Quibus rebus ita comparatis, Maria Ludovica nihil nisi illam rem curans, quae multis ex causis eam sollicitaret, nec pecuniae nec magistratibus nec verbis pepercit, ut potentiores Reipublicae cives conciliaret suo consilio ⁷⁰⁾.

Atamen haec causa Polonicae nobilitatis ingenio tam contraria fuit, ut prudentissime ipsi agendum esset, ne reginae consilium per totum pervagaretur populum, quippe quod alio modo totum ne perverteretur erat metuendum. Eodem in perficiendo

⁶⁸⁾ Vide pactiones Sueciae et Galliae: 1) Fontainebleau a. d. VIII. Kal. lit. a. 1661 (cf. Schoell histoire des traités etc. T. XIII. p. 30. 31); 2) a. d. XV. Kal. Febr. a. 1662 (Schoell T. XIII. p. 31); 3) pridie Nov. Jan. a. 1663. (Schoell. T. XIII. p. 32.).

⁶⁹⁾ Caillet l. c. p. 369.

⁷⁰⁾ Caillet l. c. p. 363. Portof. II. p. 173. 174. Koch. III. p. 25.

consilio maxime adjuvabatur regina a Boguslao Leszczyńskio, tunc regni Subcamerario antea Suecicarum partium sectatore, qui Venceslaum Leszczyńskium, primatem, et Joannem Leszczyńskium, Palatinum Posnaniensem, fratres in reginae sententiam perduxit⁷¹⁾. Quam ad perficiendam quam plures tamen opus esse viderentur, necesse fuit ut regina de sententiis suis etiam alios quosdam faceret certiores, quibus ad perficiendam illam rem uteretur. Quorum praestantissimi fuerunt: Nicolaus Prażmowski, Magnus tunc regni Cancellarius, Christophorus Pac, Magnus Lithuaniae Cancellarius, Georgius Lubomirscius, Supremus Mareschallus et campestris exercituum dux⁷²⁾, Stephanus Czarnieckius, Opalińscius, Mareschallus aulae, Joannes Sobiescius, Magnus Vexillarius, Paulus Sapieha, Andreas Potocki et alii nonnulli⁷³⁾. Quibus mandatum erat, totam ut illam rem et componerent et consilium inirent, secundum quod vivo rege successor crearetur. Tale vero consilium haud nna de causa⁷⁴⁾ omnibus probari potuit, quicunque Reipublicae salutem curabant, eamque ob rem major senatus pars sequebatur reginae sententiam.

Joannes Casimirus certior tandem factus, qualia in ipsius coronam consilia agitent⁷⁵⁾, litteras universales in diem a. d. III. Id. Aug. a. 1659 dat, in quibus dixit; „Quia nos moti respectu orbitatis nostrae et tot coronam Polonicam appetunt, considerantes solita Rerum Publicarum tempore interregnorum pericula, consentimus et invitamus consiliarios et officiales Reipublicae, ut ex nunc nobis adhuc viventibus de eligendo et designando successore consilium capiant et equestrem ordinem ad eodem cogita-

⁷¹⁾ Załuski, Epistolae hist. fam. I. p. 150. 151. Kochowski Clim. III. p. 25.

⁷²⁾ Lubomirski Manif. publ. innoc. I. c. p. 78.

⁷³⁾ Caillet I. c. p. 366.

⁷⁴⁾ Lubomirski Manif. I. c. p. 77.

⁷⁵⁾ Załuski I. c. p. 151.

tus disponant ac pertrahant“. Cavet deinde, ut Reipublicae modo ipsi integram illibatamque fidem praestet, designandi successoris libertas minime sit circumscripta. Postremo autem addit: „Quia vero Serenissima Regina conjux Nostra intuitu curarum et affectus sui meruit semper a Nobis amorem, a Republica gratitudinem, debet habere circa hunc electionis actum proprium Interesse, atque idcirco Serenissimam Reginam ad eadem consilia admittimus et volumus, ut de futuro successore conferat cum Senatu et Republica, suumque recommendet Interesse“⁷⁶⁾. Quibus literis senatores, mysteriis hujus rei initiati submissee responderunt, Joanni Casimiro gratias agentes pro maximo amore et providentia boni publici, perpetuamque fidem promittentes et in successore, intra ipsius Majestatis vitae spatia eligendo operam offerentes. In „designando“ vero successore secundum regis voluntatem⁷⁷⁾ eam normam servare volunt, ut candidatus, 1^o) Romano-Catholicus et notabiliter aetate minor sit, quam Joannes Casimirus, 2^o) ut Mariae Ludovicae neptim in matrimoniam ducere obstringatur⁷⁸⁾. Quae conditio, quum illi senatores, in quibus etiam Georgius Lubomirscius fuit, subscripsissent regi est tradita.

Attamen his de conditionibus, quibus creandus rex sufficere deberet, quamvis et summi magistratus et aulici ceteri in consilium adhibiti certiores essent facti, nondum satis progressum est, certa ut spes haberi posset fore ut electionis consilium secundum aulae voluntatem ad finem perduceretur, maximam enim difficultatem non senatus sed ordo equester paravit.

⁷⁶⁾ Lubomirski Manif. I. c. p. 78. 79. cf. Kochowski Clim. III. lib. I. p. 26. 27.

⁷⁷⁾ Lubomirski Manif. I. c. p. 80.

⁷⁸⁾ Lubomirski Manif. I. c. p. 79. „nec minus necessario illud requisitum ab eo exigemus et stipulabimus, ut velit et possit in matrimonium assumere Neptim . . . Ser. Regin. Dom. Nostrae Clement. gratificando hoc pacto eidem Reginali Mti. amorem et affectum Reipubl. Nostrae impensum multosque alias connubii hujus rationes prae oculis habendo“.

Quam igitur ad rem ut etiam nobilitas paulatim in hanc sententiam perduceretur, summi magistratus hujus causae conscii „Nexum“ fecerunt „sub auspiciis Sacrae Regiae Majestatis“ (initio esse debebat „sub auspiciis Sacrae Reginalis Mtis“), cujus summa est haec:

I. Successor Joannis Casimiri eligendus est vivo rege imperante, ut spes regnum appetentium reprimi et factiones ambientium rescindi possint.

II. Concordibus votis annuunt, ut candidatus regni habeat „requisita“ haec:

- 1) Ut sit Romano-Catholicus,
- 2) Ne sit Piastus, id est Polonus,
- 3) Ne sit diademate redimitus,
- 4) Ne sit vicinus Poloniae ob potentiam suam formidandus⁷⁹⁾,
- 5) Ne sit ullus ex duabus domibus aemulis in Europa,
- 6) Ne sit puer aut annis gravis,
- 7) Ne habeat uxorem, ut ducere possit in matrimonium neptin Serenissimae Reginalis Majestatis.

III. Qui nexus quo efficacior ac firmior reddatur, unusquisque jurabit secundam rotam, qua obstringetur „quod omnia sua consilia ratione successoris Regni ad bonum patriae et conservationem libertatum Reipublicae diriget: consilia et conclusa hujus nexus, tum et nexum ipsum sine voluntate et scitu Consilii nulli prodet“. Insuper unusquisque ut huic tantum candidato adhaereret se obstringit, qui totius nexus consensu electus esset, omni cum eo privato conventui et collusioni renunians. Ceterum unusquisque jurat, ab hoc nexu se non esse recessurum, donec finem hujus nexus non essent assecuti, aut ipse nexus non dissolveretur.

⁷⁹⁾ Sam. Pufendorf Fr. W. IX. §. 10.

IV. Ut acta et consilia hujus nexus certiore efficaciam majusque pondus haberent, nexus utrique Regiarum Majestatum (primum scriptum erat tantum „reginae“) supplicavit, ut non modo in eundem cum iis nexum conspirarent, verum ejusdem consilii gubernacula tenerent, et nexu antea certiore facto omnia exsequerentur, quae utilia ac necessaria Reipublicae fore judicabuntur.

V. Si quando aliquid in hoc nexu addendum, aut immutandum videbitur, aut in sentiendo difformitas interveniet, majore Vocum et Votorum suffragio determinari debet ⁸⁰⁾.

Quod scriptum Georgio Lubomirscio traditum est Czeczoviae (Dirschaviae), quo statim post expugnatas urbes Marienburgum et Elbingam (mens. Decembr. a. 1659 ⁸¹⁾ se conferre a rege jussus erat. Lubomirscius autem reginam solam „motorem“ et ducem illius nexus esse intelligens, scriptum illud firmare recusavit, nam id „genti nostrae minus decorum, Regnanti vero injurium sensit“, postulavitque ut loco Reginae unius, utraque Regiarum Majestatum substitueretur ⁸²⁾. Quod Lubomirscii postulatum quamquam justum habebatur et conservandae majestatis regiae studium ab omnibus laudabatur, multae tamen difficultates illud scriptum mutari vetuerunt, quoniam difficile ab iis, qui nomina sua jam dederant, postulari potuit, ut iterum sese subscriberent; quam ob rem nomine reginae eraso utriusque Regiarum Majestatum nomina posita sunt. Ita correcto huic scripto Lubomirscius subscripsit amicisque persuasit, ut nomina sua darent ⁸³⁾. Lubomirscii, quem modo diximus scrupulum, quamquam magis magisque propagatum eligendi successoris consilium vivente rege minime sustulit, magni tamen fuisse momenti in exsequendo

⁸⁰⁾ Lubomirski Manif. I. c. pg. 81. 82.

⁸¹⁾ Gordon I. pg. 188.

⁸²⁾ Lubomirski Manif. I. c. p. 82.

⁸³⁾ Ibidem.

illo consilio arbitramur. Reginae enim non tam amor suimet ipsius, muliebri vanitas laesa, minus illi confidere et inimicitias, quae ipsi cum Czarnickio, Sobieskio, Sapieha et Potockio intercesserunt, excitare coepit, quia hoc modo celeriter et certe ad finem se perventuram esse speravit ⁸⁴).

Dicere tamen omnino licet, in rebus quaecunque electionis perficiendae causa, Joanne Casimiro vivo, ab indigenis ad id tempus factae sint, perspicere potuisse veram pietatem, quae tempestates interregni prohibere, neque regis dignitatem comminuere conaretur, et si eadem illa gravitate iisdemque bonis votis interregni quam periculosissimi motus vel postea evitare studuissent, factum id, quamquam idae juris publici Polonorum contrarium, gratissima in rebus nostris memoria dignum esset.

Conditiones, secundum quas iste nexus in exsequenda successoris libera electione vivente rege acturus erat, arctis quidem liberam electionem circumscribebant finibus; ostendebant enim, aulam, quae jam certum optaret candidatum, alterum haud probaturam esse; sed ad unum fere omnes rem adeo necessariam esse sentiebant, ut propter ipsam nobilitatis licentia obmutesceret. Jam omnes violentae rationes ut evitarentur Primas, sine dubio ab aula permotus, senatores eosque, qui forte Varsoviae affuerunt nobiles, convocat ac commemoratis iis, quae adhuc facta essent, quum concordiam inter cives nexu sufficienter firmatam non esse monuisset, (nam variantibus de candidato sentiis omnes conatus irritos fieri) proposuit, ut omnes praesentes sententiam suam de eo proferrent quem regem creari cuperent. Multas post altercationes tres tota in Europa Polonica corona digni sunt visi: dux Angianus, magni Condaci filius et dicis causa duo quoque principes Britannici. Arctioris concordiae causa necessarium Primas habuit, ut prae-

⁸⁴) Caillot l. c. pg. 366. cf. pg. 379. 380. cf. Sam. Pufendorf Fr. W. IX. §. 45.

sertim suum quisque nomen juxta condidati, quem vellet, nomen scriberet. Celeriter huic rei satisfactum est ea conditione, ut hæ subscriptiones reginae non proderentur, sed in Primatis tabulario collocarentur. Paene omnes, inter quos etiam Lubomirscius, de creando Condaei filio consenserunt⁸⁵).

Ita res se habuerunt, quum actiones de pace Oliviensi institui coeptæ sunt!

Quibus ex actis, quæ locupletissima nobis servata sunt, non solum Mariae Ludovicæ, sed etiam aulae Gallicæ notum fuisse intelligimus, quemadmodum factionis Gallicæ consilium processerit. Quod ut celeriter ad finem perduceretur, ex dissensione, quæ erat inter Sueciam et Poloniam tollenda, pendeat. Componendæ autem omnium fere Europæ septentrionalis civitatum causæ multum sibi laboris exposcebant. Aula Vindobonensis utrum quaecunque in Polonia Gallia commodo factæ sint res sciverit, necne difficile est dictu, certum tamen, ejus opera negotiationes esse longius protractas: quare quum deliberantibus de pace Caroli Gustavi mors Olivam nuntiata esset, (a. d. VIII. Kal. Mart. a. 1660) Lisola, legatus Austriacus, actiones voluit sisti ea prolata sententia, Suecicos legatos agere de re gravissima non posse, nisi auctoritatem successoris Caroli Gustavi haberent⁸⁶). Nimia hæc Austriaci legati diligentia et cautio minime aulae Gallicæ placere potuit, ejusque iram contra Austriam eo magis excitavit, quum cognitum esset, Austriacos Joannis Casimiri sacerdotem a confessionibus corrumpere conatos esse, qui ei persuaderet, ut quam celerrime regno se abdicaret⁸⁷).

⁸⁵) Lubomirski, Manif. l. c. pg. 86. 87. cf. Kochowski Clim. III, lib. I. pg. 27. 28.

⁸⁶) Joh. Gottlob Boehmius, Acta pacis Oliviensis. Vratisl. 1763. T. I. pg. 59. 60. cf. ibid. Nro. 48. pg. 94 — 109. Nro. 50. pg. 112 — 131. cf. pg. 151. et notam.*

⁸⁷) Sam. Pufendorf Fr. W. VIII. §. 50.

Mazarinus Austriae minitabatur nisi ad mensis Martii finem a. 1660 pax esset constituta, Galliam Sueciae triginta milia militum totius Pomeraniae recuperandae causa auxilio missuram esse; contra imperator Austriacus viginti quinque milia copiarum ad Rhenum se missurum esse, si electores Moguntiacus et Coloniensis Galliae transeundi copiam fecissent ⁸⁸⁾; Poloni autem Lumbres, legato Gallico, auctore neglectis ceteris sociis, vel ad singularem cum Suecis ineundam pactionem inclinabant ⁸⁹⁾. Contra Maria Ludovica litteris ad Lumbres et ad legatos Polonicos scriptis minitabatur, a Deo Optimo Maximo eum poena affectum iri, qui prohiberet, quominus pax fieret universalis ⁹⁰⁾.

Quae dum geruntur, pax Oliviensis, quae nescio an perniciosissima Reipublicae fuerit, nam omnem ejus auctoritatem potentiamque in Europa septentrionali perdidit, a. d. V. Non. Maj. a. 1660 hora noctis undecima et dimidia iam praeterita, est constituta. Celeriter legatus missus est, qui Joanni Casimiro forte Gedani versanti „hunc laetum nuntium“ perferret et Joannes maximo cum gaudio illam pacem jam a. d. IV. Non. Maj. „ad interim“ accepit, priusquam ab ordinibus esset confirmata! (a. d. VI. Kal. Jul. a. 1660 ⁹¹⁾).

Eodem tempore missus ab aula Polonica Akakia, procurator Gallicus, cum nuntiis Bordigalami venit, secundum quos Mazarinus Condaeo scripsit, ex Polonia se accepisse „mandata, quibus

⁸⁸⁾ Stenzel Gesch. Preuss. T. II. pg. 160. 161. cf. J. G. Boehmii Acta p. Oliv. I. pg. 108.

⁸⁹⁾ Boehmii l. c. T. I. pg. 56. 58. 59. Pufendorf VIII. 44.

⁹⁰⁾ Boehmii Acta p. Oliv. T. II p. 501. 502. cf. I. pg. 56—59. Pufendorf Fr. W. VIII. §. 17. 50. 67. Pufendorf C. G. VI. §. 77. Kochowski Clim. II. pg. 187. Basnagius Annal. Belg. T. I. pg. 567.: „La reine avoit un intérêt particulier d'en hâter la conclusion, parce qu'ayant prêté beaucoup d'argent aux Polonois; elle craignoit de la perdre, s'il étoient ruinés“. Cf. Terlon T. II.

⁹¹⁾ Boehmii l. c. I. pg. 185 — 189. Nr. 67 — 69. ibid. T. I. pg. 222. sqq. Kochowski Clim. II. pg. 434.

se intelligere, quantopere gloria nominis ejus cresceret, ad quae celere et certum responsum postularetur“, eique pro certo affirmavit Ludovicum XIV. tantam operam huic rei dare, quantam ipse optare posset⁹²⁾. Ab hoc quoque tempore reperimus in Ludovici XIV. memorabilibus stipendiorum notas „pour quelques Seigneurs polonais“, in literis vero a Colberto ad Mazarinum datis impensarum Mariae Ludovicae, Polonorum reginae, rationes⁹³⁾!

Quae omnia satis caute et prudenter agebantur nec publice rem, cujus finis tam gravis esset, contaminabant. Non longius autem, quod maxime desiderandum esset, negotium illud arctioribus his limitibus contineri potuit: imo vero aulae machinationes praecocissimae in diem cursum petebant, qui honorem, dignitatem, res populi violare videbatur. Priusquam vero aula consilium, quo occupabatur, exequendum manifeste aggredi potuit, periculum tempestatesque, quae in Lithuaniae et Ukrainae confiniis a Moschia contra Rempublicam maximo cum impetu fluctuabantur, profligandae erant. —

Lubomirscius, ubi composita illa inhonesta pace Oliviensi cum copiis suis ex Borussia Varsoviam venit, Joanni Casimiro persuasit, ut bellum, quod cum Moschis gereret, omni vi in Ukrainam transferret, iisque fractis eam provinciam Reipublicae adjungeret. Sed quum in senatu orationem haberet de belli gerendi rationibus,

⁹²⁾ Mémoires pour servir à l'histoire de la maison de Condé. T. I. pg. 298. Litterae Mazarini ad Condaeum d. d. Bordeaux 26. juin 1660: „Le sieur Akakia étant arrivé depuis quelques jours de Pologne, avec des commissions où j'ai trouvé votre nom mêlé bien avant, et sur lesquelles on demande une prompte et précise résolution, j'ai cru que pour gagner du temps, il était à propos qu'il se rendit en diligence près de vous, pour vous informer de ce qui se passe, afin qu'on puisse le renvoyer du lieu même où vous rencontrerez Leurs Majestés dans leur marche. Je n'entrerai point cependant dans la matière, et me contenterai de vous dire, seulement par avance, que le roi ne prendra d'autre intérêt en l'affaire, que celui-même que vous desirez!“

⁹³⁾ Vide litt. Colberti d. d. postridie Kal. Mart. a. 1660 in: Bulletin de la Société de l'histoire de France. Paris 1834. T. I. pg. 197. cum nota.

fiscum male constitutum audacter conquestus, animum ad copiarum miserias molestiasque convertit, quibus stipendium non semper persolveretur. Ostendit deinde sperari non posse, fore ut militum stipendio non soluto seditiosorum animi assignatione in cujus-
cunque bona data semper sedarentur, quemadmodum id sibi in pro-
xima confoederatione factum esset⁹⁴⁾. Quamquam Kochowski dicit:
„ad haec verba quisque conscius sibi haud occulte fremebant“⁹⁵⁾,
ex administrationis tamen quae tunc erat bellicae statu apparet,
illa verba praesertim exercitum Stephani Czarneckii⁹⁶⁾ et Joannis
Sobieskii⁹⁷⁾ spectasse, qui propter avaritiam nunquam sibi eum
militum amorem conciliare potuissent, quo Lubomirscius fruitus⁹⁸⁾
et quo illi ob fortitudinem atque audaciam digni erant. Praeterea
Sobieski eo nomine minus gratus fuit, quod bello Suecico no-
men suum partibus Sueciae susceptis contaminavit; quod quam-
quam non prorsus aliqua tamen ex parte obtexit reginae erga
eum sinceritas ac fiducia major, quam erga alios⁹⁹⁾, qui patriae
causae semper fideles fuerunt.

Attamen illa Lubomirscii oratio graviter mentes irritavit et
quamquam animis insita invidia in tempus conticuit, plane tolli
non potuit, — imo satisfacere sibi ita voluit, ut Lubomirscium acer-

⁹⁴⁾ Hoc pertinebat ad confoederationem exercitus a. 1659 sub
auspiciis Jaskólskii factam, quam Lubomirscius eo sustulit, quod una
cum Zamoscio bona sua exercitui oppigneravit. Cf. constitut. a. 1659.
Vol. legg. IV. fol. 611. cf. Koch. II. pg. 350—352 Bohemius Acta
pacis Oliv. (Aurora pacis Pastorii) I. pg. 21. not. * * *

⁹⁵⁾ Kochowski II. pg. 443. 444.

⁹⁶⁾ Caillet l. c. pg. 370. 380. cfr. 373. 374. Vide *Manifestum
Lubomirscii* l. c. pg. 94. cf. p. 26. „Ipsemet enim miles fastum et avaritiam
illius (Czarneckii) perosus, recessit et in Nexum transiit“. Respice etiam
illos „rumores“, de quibus Koch. II. pg. 45—56. in describenda deditioe
Cracoviae mentionem fecit.

⁹⁷⁾ Gordon I. sub fine a. 1658.

⁹⁸⁾ Gordon passim. Koch. II. 442. Terlon I. pg. 35.

⁹⁹⁾ Caillet l. c. pg. 366.

rimo studio Reipublicae saluti prospicientem acerbo „patris patriae“ cognomine lacesseret¹⁰⁰⁾.

Animis igitur ita affectis Lubomirscius et Potockius in Ukrainam profecti sunt. Czarnecius autem, qui nullius ex legitimis campestribus exercitus ducibus auspicia sequi voluit, „sejunctae cuidam copiarum parti praepositus“¹⁰¹⁾, in Lithuaniam se contulit. Quum Lubomirscius post victorias apud Slobodyszcz et Cudnowo reportatas condiciones pacis diceret Moschiae, postulationes quoque Magni Moschorum ducis praecidit ac pactum fecit, secundum quod Ukraina Reipublicae adjuncta fuit (mens. Nov. a. 1660¹⁰²⁾).

Ita sedatis omnibus externis hostibus non solum electionis consilium ex jurejurando senatorum facile ad finem perduci sed etiam Rempublicam post tot pericula ac tempestates veluti reviviscere et florere posse putaris.

Quam vero aliter res processerunt!

Dum non constabat, utra factio esset viribus potentior, omnes plus minusve otiosi inter se tantum certabant, ubi autem ministri Austriaci de nexu senatorum certiores facti omnia haec Galliae commodum fore intellexerunt, maximam operam dederunt, ut Galliae quam in rebus Polonicis habebat auctoritatem minuerent et Condaeii sectatores in suas per-

¹⁰⁰⁾ Koch, II. p. 444.

¹⁰¹⁾ Caillet I. c. p. 380. Gordon I. p. 212. Andreas Max. Fredro, *Scriptorum seu Togae et Belli notationum fragmenta*. Dant. 1660. pg. 65: „Vidimus nuper damno nostro; cum per respectum personarum (optimo alias exercitui) tres summae belli a Republica praeficerentur“ etc. etc.

¹⁰²⁾ Optime hanc expeditionem contra Szeremetum descripsit Gordon I. p. 212. sqq. cf. *Diarium belli cum Szeremeto et Cieciura praefecto Pereaslaviensi gesti, quae facta est mense Sept. et Nov. apud Ambrosio Grabowskij*: *Ojczyście spominki* T. I, p. 144—170. Quod diarium ne Kochowskio quidem ignotum fuisse videtur, sed optime ab eo adhibitum non est.

ducerent partes¹⁰³). Quae res non tam aulam Gallicam, quam Polonicam maxime conturbavit; primum enim magna opus fuit pecunia, qua factioni Gallicae numerus sectatorum nisi augeri posset, ii retinerentur, qui jam erant conciliati. Propter bella autem Poloniae saepe numero illata carebat aula adjumentis, quibus large uti posset, fracta vero nobilitas ut „sustentaretur“ flagitabat¹⁰⁴). Praeterea Rempublicam celare hoc consilium nequiverunt, quod Austria jam edocta impetum in nobilitatis libertatem infamare studuit¹⁰⁵).

Itaque et nexus, qui diutius occultari non potuit, et magni sumtus, qui non solum Condaeo sed etiam aulae Gallicae faciendi erant, et fortasse „reginae cupiditas suscipiendae“ quam primum „praeclarae cujusdam expeditionis“¹⁰⁶), Joannem Casimirum permoverunt, ut consilium successoris ipso vivente eligendi in comitiis, quae in diem a. d. VI. Non. Maj. a. 1661 indixit, in medium afferret.

Quod propositum „solliciti de Reipublicae salute regis“ ut prospere eveniret, nexus participes concordēs agere decreverunt. Litterae enim universales Joannis Casimiri d. d. a. d. III. Id. Aug. a. 1659, quibus exsequendae vivente rege electionis consilium continebatur, eo modo mutatae sunt, ut statim proximis comitiis statuendum esset, quomodo, quo tempore, quo loco electio illa habenda esset¹⁰⁷). Eligendi successoris consilium ita mutatum subscriptis utriusque Cancellarii nominibus probandi causa missum est Lubomirscio, qui facta expeditione Moschovitica Ollicae

¹⁰³) Koch. III. p. 27. Załuski Epistolae hist. fam. I. p. 151. Caillet l. c. p. 364. cf. p. 398.

¹⁰⁴) Gordon I. p. 299—300.

¹⁰⁵) Kochowski Clim. III. p. 27. sqq. cf. Clim. II. p. 496 sqq.

¹⁰⁶) Caillet l. c. p. 396.

¹⁰⁷) Lubomirski Manif. l. c. p. 83. 84.

fuit¹⁰⁸⁾ (mens. Decembr. a. 1660¹⁰⁹⁾. — At Lubomirscius „festinationem illam ac prioris scripti mutationem Reipublicae saluti periculosam ac perniciosam esse ratus assentiri noluit“, sed persuasit, „ut ea res secundum leges et genium Polonicum tractaretur, non praecipitaretur“¹¹⁰⁾. Quibus verbis potissimum causa nobis contineri videtur, propter quam Lubomirscius haud prorsus cum aula faceret. Neque enim, hostibus ex terra fuis fugatisque, erat, propter quod novi regis ambitu, priusquam nobilium studia novo consilio essent ipsi parta, regnum vix pacatum novis implicaretur certaminibus. Quae certamina fieri non potuit quin maxima vi exorirentur, quia novum illud consilium et ideis et privilegiis, quae nobilitas fundamentum et quasi libertatum pupillam haberet, erat contrarium. Difficillimum tamen fuerit, si historicam fidem sequi voluerimus, pro certo affirmare, hac una causa Lubomirscium permotum esse ad ea quae posthac ageret. Licet enim Lubomirscius, summo ille flagrans patriae amore populi rationibus quam devotissimus esset, licet magnus virtutis hominumque virtute conspicuorum amicus, viliis quam inimicissimus esset¹¹¹⁾,

¹⁰⁸⁾ Ibidem p. 84.

¹⁰⁹⁾ Gordon I. p. 266. 267.

¹¹⁰⁾ Lubomirski Manif. l. c. p. 84. „hanc mutationem scripti et festinationem in eo periculosam Reipublicae improbavi, atque petii, ut juxta leges tum et Genium Polonicum res ista tractaretur, non praecipitaretur“ etc. cf. Koch. III. p. 25.

¹¹¹⁾ Gordon I. p. 273: dicit; „dass er so viel mit Gewissheit behaupten könne, da er gewissermassen ein Hausgenosse des Generals (Lubomirscii), beständig bei der Tafel desselben, und bei manchen geheimen Unterredungen zugegen und ein Vertrauter seiner Secetaire und vornehmsten Bedienten drittheil Jahre lang gewesen sei, dass er nie etwas Anderes gehört oder gemerkt habe, als einen festen und standhaften Entschluss, die einmal festgesetzte Regierungsform zu unterstützen und gegen alle Neuerungen zu kämpfen, und einen besonderen Eifer, der Nation ihre Freiheiten und Privilegien zu erhalten. Denn wirklich war er von Natur ein grosser Freund der Tugend und tugend-

haud veri dissimile tamen est, Lubomirscium, ubi se non eadem, qua antea, apud reginam gratia valere ratus metuit, ne alteri posthaberetur¹¹²⁾, omni, qua apud nobiles polleret, auctoritate id esse annisum, ne ipso neglecto hostes principatum sibi conciliarent, et ut aulae probaret, nunquam obsequiosis adulatoribus id posse perfici, quod nisi civibus liberis atque intelligentibus fieri posset.

hafter Personen und ein Feind des Lasters, ein guter Soldat und guter Staatsmann. Er verstand sich zwar auf Staatsangelegenheiten, war aber kein guter Praktiker, wie der Erfolg gelehrt hat. In allen seinen privaten Geschäften war er vorsichtig und gerecht“. — Eandem sententiam de Lubomirscio profert Kochowski, Climacter III. p. 25. 26. et multis aliis locis. cf. Joach. Pastorii, Aurora Pacis etc. apud Joan. Gottl. Boehmum, Acta Pacis Oliviensis T. I. pg. 4. 5. cf. ibid. pg. 262. 263. — Rudawski p. 279. de Lubomirscio ironice dicit „Cui (Racocio) opponere se volebat amore in patriam, quem semper ille (Lubomirscius) in ore habuit“. Austriae sectator, animum amore patriae carere, qui Austriae deditus non esset, putavit!

¹¹²⁾ Załuski, Epistolae historico-familiares. T. I. pg. 152: „Lubomirscius toto comitiorum cursu (ad ann. 1661 spectat Załuscius) silentium tenuit, ac ne verbo successoris electionem, quam initio strenue fovebat auxitque amicorum opera juvit, sive re desperata, auctoritatem suam in discrimen mittere, et periculum facere dignitati noluerit, sive aliqua offensio in Reginam animum ejus mutaverit. Compertum habeo Stanislaum Kobierzyscium, Palatinum Pomeraniae, suspicacem animum Lubomirscii percurrisse, quocum habito sermone de consiliis Reginae, affirmavit, supremam exercitus praefecturam Czarnecio pro Lubomirscio, sibi vero gubernationem aulae et Camerae destinatum esse, quando dux Angianus rerum Poloniae potiretur, idque sibi fida relatione Czarnecii optime constare. Quae relatio adeo Lubomirscii animo haesit, ut reginae dubiam immo falsam fidem reputans, amicos suos intueri, nec ullatenus hisce comitiis electionis consensum praebere voluerit etc“. — Ibid. p. 153 . . . „sed res longe aliter accidit, nam rigidus stipendiorum exactor Lubomirscius an potius aliorum civium instinctu, quam aliarum factionum odio, nihil magis, quam electionem successoris impugnare ad speciem tuendae libertatis inducere denique ferocia ac minis ac Reipubl. periculis id efficere coepit, ut promotio successoris, vivente rege, lege publica damnaretur“ etc. — Quae Caillet (Sieńkiewicz, Skarb. hist. polsk. T. I. p. 373—375) de hac re pro-

Jam illo modo ac ratione, qua aula ejusque asseclae serviles rem agebant, animi iusti probique nisi suspicione irave affici non potuerunt. Quicumque igitur regum alienorum commodis addicti non essent, quicumque libera tantum civium electione regem parari sibi persuasum haberent inde a prima iuventute, contemptu illo exacerbari debuerunt, quo animi moventur, quum quae habemus sanctissima, vilia haberi et in alienorum hominum commoda detorqueri intellexerimus¹¹³).

fert Załuscii opinionem confirmant. Qua re sententia, qua Sienkiewiczus (l. c. pg. 375 nota 1.) Cailleti narrationem collustrare suscepit nihil ad rem facit, nam notitia illa, quam Pufendorffio (F. W. IX, §. 14. cf. ibid. §. 46) debemus longe aliud spectat quam quod Sienkiewiczus arbitratur. (Vide Lubomirscii Manifestum etc. l. c. pg. 149. cf. Pasek, ed. Lachowicz pag. 222. cf. etiam Kochowski Clim. II. p. 490. — Gordon I. pg. 208. — Lubomirscius ejusque sors minime quidem Polonicarum rerum scriptores fugit, sed neque ejus vitae necessitudines nec quae defendit ab ullo historico critice examinata esse dolemus. Jam ann. 1830 Lubomiriana sors tragoediae argumentum facta est, nuperque Carolus Szajnocha, scriptor nimis ille in edendo ideoque parum accuratus, quamvis Polonicae historiae scientiam scriptionibus nonnullis laude haud indignis promoverit, idem argumentum dramate exposuit (Jerzy Lubomirski, dramat historyczny, nap. K. Szajnocha, Lwów 1850). E scriptoris, priore quem nominavi loco, ratione temporis quidem, quo illa scriptiuncula publici sit juris facta, indoles perspicitur; sed Szajnochiana ratio proprietate caret, neque enim mores aut indolem accurate refert, neque historiae conveniens est, quamvis Szajnocha in praefatione se historiae fide usurum esse promittat. Schilleri Wallensteinium imitari quidem voluit, sed non potu, ita ut mirari non satis queamus audaciam, qua Szajnocha „Lubomirscii sui“ historicam fidem venditet. Neque enim mente assequi possumus, quomodo vir, historicis studiis deditus, neglectis fontibus, in indolem non penitus inquirat, sed acquiescat in Kochowskii versione (Dzieje panowania Jana Kazimirza, edit. Ed. Raczyński. Pozn. 1840. 2 T.), in qua, quum libido regnaverit, plura sunt truncata, plura in majus aucta. Nihilo secius hanc qualemcunque quasi fontem genuinum Szajnocha sequi voluisse videtur.¹¹³) Vide litteras Załuscii ad Cardinalem Ursini (Epistolae hi-

Talibus igitur animis adversarii, quos excitare contra aulam Lubomirscius coepit, instructi esse videbantur, et quum Lubomirscius is esset, quem Cancellarius ipse „patrem patriae“ vocare cunctatus non esset ¹¹⁴), perfacile totam popularem factionem in suas pertraxit partes. Res si tantum privata quaedam aulae et Lubomirscii contentio fuisset, facillime componi potuisset; sed aula, senatore obstante irritata, nobilitatem nil nisi privilegia curantem ipsi sese opponere putabat ¹¹⁵), contra homines aulae obstantes, paucis interjectis diebus, graviori inde metu commoveri coepti sunt, quod aula ipsis id spectare est visa, ut simili ratione, qua Richelii et Mazarinus Galliam, Poloniam regeret ¹¹⁶).

Jam propter domestica, quibus regina erat dedita, commoda et propter Polonorum gentium nobilium aemulationem utrumque,

storico familiares T. I. pg. 151 sqq.) cf. Vesp. Kochowski Climacter II. pg. 499. Climacter III. pg. 23—27.

¹¹⁴) Kochowski Climacter II. pg. 494: „uti praecipuum pacis pararium, immo Patrem Patriae diceret“. Quam auctoritatem Lubomirscius in Polonia habuerit apparet etiam ex iis, quae Terlon (I. pg. 35) affert: „Alors s'y croyant obligé, il (sc. Wuertz) lui dit, que son Altesse (Rokotzy) ne pouvait mieux faire que . . . de marcher . . . vers Solec . . . afin d'y surprendre la Noblesse Polonoise, que le Grand Maréchal Lubomirski y assembloit, ou du moins tascher à la dissiper, et de prendre le pont, qu'il avait fait sur cette Rivière (Vistula), ce qui lui serait avantageux, ruinant par là le credit et l'autorité que ce Grand Maréchal s'estoit acquise parmy les Nobles de Pologne, qui le regardoient comme leur principal conseil, et le soutien de leur Etat chancelant“ . . .

¹¹⁵) Caillet l. c. pg. 365. 373—375.

¹¹⁶) Lubomirscii Manifestum publ. innoc. l. c. pg. 87.: „Et quidem patet abunde, cessasse statutorum Jus; quisquis enim faciem Patriae hujus inspexerit, audacter dicere poterit: Ecce nunc nova facie omnia, Constitutiones et Leges antiquae desuetudine vel contemptu abrogatae; Richelii et Mazarini conceptus ac maximae appetantur. Mores antiqui jocis et ludibrio expositi; Alamoda regnat in amoribus et votis“. — Kochowski passim. Jemiołowki, Pamiętnik p. 166.

quod supra memoravimus momentum, non eam potuerunt exserere vim, cujus auxilio res celeriter ad discrimen venisset; immo utrumque illud momentum quum domesticis posthabitu iri videretur rationibus, summus animorum aestus multo majora attulit pericula.

Interea autem factio Gallica, melius iam illa ordinata et constituta, adversarium numerum in dies auctum a se praeveniri posse putabat.

Itaque Joannes Casimirus una cum regina multisque hospiti- bus Cracoviae usque ad mensis Januarii finem versatus, una cum Maria Ludovica Czenstochoviam profectus est, ubi senatu in diem a. d. IV. Id. Febr. convocato, qui de rebus in proximis comitiis disceptandis deliberaret¹¹⁷⁾ literas universales, quibus comitia in diem postridie Kal. Maj. a. 1661 convocabantur proposuit¹¹⁸⁾ et ordines de electionis consilio certiores fecit¹¹⁹⁾.

¹¹⁷⁾ Litterae univers. S. R. M. Pol. ad Senatores Regni sensum eorundem ad celebranda comitia exquirendi. Diar. Eur. T. VIII. App. Class. II. Nr. I. pg. 106—108 d. d. Crac. Nov. 1660.

¹¹⁸⁾ Litterae universales S. R. M. Pol. pro Comitiorum et Comitiorum ann. 1661 prolongatione. In Diar. Eur. T. VIII. Append. Class. II. Nr. IV. p. 112—114. Primum constitutum enim est, ut Comitia ad d. 28. Martii, Comitiola vero particularia ad d. 21. Febr. indicerentur; sed „ut militaribus successibus eo melius insistere et in hosticum arma transferre possent“ visum est Regi Generalibus utriusque Nationis instantissime a Rege flagitantibus istorum Comitiorum prolongationem, et D. D. Senatorum sensui Nos conformare et Comitiola quidem ad d. 2di Mai. transferre et prolongare“.

¹¹⁹⁾ Vide Additamentum ad Instructionem Regiam pro Comitiis Regni Poloniae ad d. 28. Martii 1661 indictis. In Diario Europaeo T. VIII. App. Class. II. No. V. pg. 124—127. Joannes Casimirus illo proclamat, se ultimam Jagellonicae stirpis sobolem, ex qua Poloni diutissime reges creassent, „nihil magis in votis habere, quam ut speciali quoddam benevolentiae et gratitudinis documento . . . Patriae . . . animum suum testari posset, priusquam de hac vita decederet; quia sciret, quanta pericula Reipublicae ex Interregno imminerent, eo potissimum tempore, quo deficiebat sanguis et successio de lumbis Regum“ . . . „Nunc autem“

Aequales rerum scriptores conqueruntur, se satis digne enarrare non posse illa solemnia, triumphos, ludos quorum tum vetus

quum ipsi progenies negata esset fati voluntate, „S. R. M. mortalia secum reputanti, continuo versantur ob oculos manifesta pericula tam internorum quam externorum conjuratorum in perniciem et interitum hujus Patriae“. Quae omnia animo reputans Rex tenet „nullum efficacius remedium, quam tempestivam, durante adhuc vita sua, designationem Sui Successoris; maxima in consideratione habens, nondum adeo depositos esse vicinorum animos ad adipiscendum hocce Imperium, commota recentioribus et antiquioribus argumentis: aliis dilationem limitum suorum paene ad invidiam ambientibus: aliis diversae religionis nexu inter se colligatis, qui sine dubio interregni motus expectant, quorum suspecta est malignitas“. Quae omnia pericula Rex Serenissimus respiciens „ut Pater Patriae esse non desistat et quem fata e Domo et Sanguine Regio subtraxerunt, successore post fata sua potiatur, cujus non progenies sed libera suffragia Dominationum Vestrarum superstiti relinquunt documentum, fretus tot in patriam meritis Ser. Parentis, Fratris et Sui Ipsius, antiquae Legis consuetudini (quam sacro-sancte ad extrema vitae suae tempora profitetur) novam electionem et designationem successoris praeferre non dedignabitur. Confusus itaque virtuti Poloniae benevole exponit periculo (!) humano appetitui subjacens Sceptrum Regium, nihilominus securus existens omnimodae et solitae praecautiois Dominationum Vestrarum, ut dum praemissa, quae exoptat S. R. Mtas effectum sortiantur, omnia sint certis cancellis circumscripta, uti in nullo futuro Successori et nunquam Possessori praejudicetur. Et sic benigne condescendit S. R. M. et propter patriae amorem, ipsi Legi, quae in favorem regnantium provida majorum nostrorum in Principes suos fide non ita pridem est conscripta, libenter renunciat, ligatam hoc in passu solvens, ut sic permissu S. R. M. de futuro Successore dicere et judicia sua ferre possint circa liberam liberi Domini Electionem, quam nec in minima parte se imminuituram S. R. Mtas pollicetur. Id quod at summa cum cautela, servatis sollemnitatibus, fieri possit, plenariam D. V. Nuntiis suis hac in materia tribuent potestatem, ita ut in proxime futuris Comitibus inchoato consilio cum reliquis regni ordinibus de actu electionis, deque modo, loco et tempore omnimodam ineant rationem. Certas autem hoc in passu et assecuratatas esse cupit R. M. Dominationes Vtras, easdemque sub honore, fide et conscientia sua securas reddit, quod hac in re nullum proprium quaerit commodum, sed patriae tantum utilitatem, incrementum Divinae Laudis, Conservationem Legum; cum liberis suffragiis eligetis inque im-

Cracovia nostra fuerit plena. Nunquam illud Reipublicae caput tot homines ordine et dignitate varios vidisse dicitur, quam illo tempore, quum alii vocati, alii sua sponte ad regem venirent, ut una cum eo et cum ducibus triumphantibus, liberata Republica communi fruerentur laetitia ¹²⁰⁾. Populus gaudio deceptus, praeclaris laetabatur triumphis tanquam reipublicae olim Romanae, nam inter ipsum jam oriri elementum minime praesagivit, quod ipsius quasi intestina dilaniaturum esset. Illo ipso tempore prima typis exscripta ephemeris: „Mercurius Polonicus“ prodit ¹²¹⁾; omnia fuerunt plena vigoris, omnes loci et omnia facta tam magnifica atque amoena, ut „laete tunc Cracoviae habitaretur“, scribit dux Curlandiae ad electorem Brandenburgicum, „quanto laetius regnabitur ¹²²⁾!“

Quae tamen omnia Joannem Casimirum nihil omnino moverunt: cum regina enim peragrabat provincias et praesertim eas Reipublicae, quae bello Suecico acerbissime hosti restiterant, par-

perium hoc collocabit Principem, qui a recto tramite Ser. Antecessorum et ipsiusmet R. M. non deviet, unicam metam regiminis sui habens augmentum fidei et religionis defensionem, ejusdemque et regni hujus ampliationem. In quibus praeesse vult R. M. quoadusque vixerit, modo tantum ea Successoris indoles annis polleat, quibus paternae R. M. admonitiones et regiae hujus disciplinae informationes libenter suscipiantur.

Ad praesens igitur Dbus Vris tuto dispicere licebit, qualem et quem huic Fortunae destinare velint, postquam actui Electionis tempus et locum designaverint. Contestatur denuo S. R. M. coram universo orbe, se nemini ex candidatis affectu aut quovis alio praetextu adhaerere: immo abrenunciat omnibus modis, qui vel in consanguinitate, vel amicitiae vinculo consistentes suggerere aliquid Mti Suae possint, totum negotium curae et dexteritati Dnum Vrarum committens, ut futura providendo, ejusmodi eligant Dominum, prout suadebit rectum iudicium etc.“

¹²⁰⁾ Koch. Clim. II. p. 493.

¹²¹⁾ Sam. Bandtkie, Wiadomość krótka o gazetach polskich in: Roczniki Towarzystwa naukowego z uniwers. Krak. złączonego. T. IV. Kraków 1819. p. 205. sqq.

¹²²⁾ M. S. Germ. bibl. reg. Berol. 4^o, 77.

tes, ut ex nobilitate quaereret, quomodo eligendi successoris ipso vivente consilium exciperet. Circummissi in omnes partes factionis aulicae sectatores coram rege gloriantur, se „rem omnem vino et epulis perfecturos ¹²³⁾“.

Attamen ea ipsa nobilitas nonnunquam vel majora meditabatur!

Lubomirscio enim quae intercessit cum aula, discordiam de illo celeriter exsequendo consilio, quod ipse ideo comprobare noluerit, quia iustam rationem iniri volebat, mox ulterius progredi debuisse, ex natura omnium discordiarum apparet. A Sam. Pufendorffio ¹²⁴⁾ autem comperimus, Lubomirscium jam ante comitia cum nonnullis aliis pactum contra electionem iniisse. Quod quum nobis accurate non sit traditum, primum oppositionis Lubomirscianae documentum contra aulae consilia invenimus in instructione, quam convocata Proszovicias nobilitas Cracoviensis palatinatus Lubomirscio auctore nuntiis terrestribus pro comitiis obeundis dedit.

Nuntii terrestres palatinatus Cracoviensis contendere debent, ut haec constituentur:

I. Jus de eligendo libere Rege restitutum in omnibus punctis ac clausulis conservetur oportet. Postea relaxetur pro tunc, propter maximam qua nunc premitur Respublica necessitatem.

II. Provideatur securitati Regnantis quam maxima fidei ad sera usque fata eidem praestandae obligatione, et insigni gratitudinis in succedaneum aevum nota, pro eximio, quod vix apud exteris gentes seramque posteritatem fidem inveniet, Patriae huic exhibito beneficio.

III. Provideatur libertati Electionis ejusque securitati a Regnantibus, ut per publicum Diploma sub juramento Electionis datum nullatenus eidem immiscantur Serenissimae Regiae Majestates, ne quidem per recommendationes.

¹²³⁾ Kochowski Clim. II. p. 499.

¹²⁴⁾ Sam. Pufendorf F. W. IX. §. 7.

IV. De Persona Candidati in his Comitibus nulla omnino mentio fiat, idque sub poena Perduellionis.

V. Observentur omnes gradus et solennitates Electionis. Antecedat Convocatio Generalis Nobilitatis finitis Comitibus, ab Illustrissimo Archiepiscopo Gnesnensi tanquam Primate indicenda, et in loco a Residentia Regiarum Majestatum remoto celebranda¹²⁵⁾, tum deinde subsequenter more solito fiat Electio.

VI. Ne per Inclinationem in Personam, verum perpensis requisitis designetur Successor.

VII. Arces et urbes in confiniis sitae praesertim vero Metropolis Cracovia et Civitates Prussiae muniantur firmissimis Praesidiis, quorum praefecti sint Nobiles Poloni vel ex annexis Provinciis, iique non noviter creati, et per consequens minus probatae fidei, multo vero magis non ii, quibus aliqua perfidiae erga Regiam Majestatem ac Rempublicam adhaesit labes. Quod ut Domini Nuntii circa vacantias et Incompatibilia urgeant, neque ad alia puncta quoad Praefecti Arcium ac Urbium per Duces Exercitus in facie Reipublicae designentur ac nominentur nullatenus descendant, eosdem Fide, Honore et Conscientia obstringimus.

VIII. Curetur ut Convocatio ac Electio ante hiemem finiatur nec in longiores prorogationes extrahatur, idque eo fine, ut pracludatur locus factionibus et corruptionibus, quas ambientes Competitores serere consueverunt, magna Factorum conventorum jactura, quibus solis apud Nos emendantur defectus, qui in vita regnantium tangi non possunt¹²⁶⁾.

¹²⁵⁾ Gordon I. pg. 269. 270. quoque instructionem a Lubomirscio datam memoriae nostrae prodidit, qua dictum est, locum illum tribus itineribus a Varsavia abesse.

¹²⁶⁾ Instructionem hanc vide plane exhibitam in App. Diar. Eur. T. VII. Class. II. Nr. 17. pg. 127—149. Quod auctor ipsius Lubomirscius fuit vide ejusdem Manifestum in Diar. Eur. T. XIII. App. p. 85.

Tali armati instructione palatinatus Cracoviensis nuntii consiliis aulicis fortiter resistere potuerunt, etsi major senatus pars aliam sententiam secutura esset. Videmus autem, Lubomirscium oppositionem multo latius extendisse. Minor enim Polonia legatis suis mandavit, ut eligendi successoris vivente rege consilium perdere conarentur¹²⁷⁾. Quin etiam Majores Poloni ad comitia particularia Srodam convocati licentiam Gallicarum artium et auctoritatis quam perniciosissimarum Reipublicae graviter ac palam conquerebantur¹²⁸⁾. Neque minus adversarius consiliis aulicis animus in palatinatibus Volinico et Podolico exstitit¹²⁹⁾.

Altera ex parte aulam nihil praetermississe, ut oppositam nobilitatem frangeret, commemoravimus. Dicere tantum restat, aulae sequaces praesertim in comitiis palatinatus Russici Sambori et palatinatus Sieradiensis Schadkoviensi ante cetera habitis quam strenuissime egisse rem¹³⁰⁾, quae jam eo pervenerat, ut corrupto hoc vel illo suffragio haud multum assequi possent.

Quo magis comitorum tempus appropinquabat, eo major motus in Republica et alacritas Varsaviae conspiciebatur, quoad die postridie Kal. Maj. comitia, quae „Condaeana“ appellata sunt¹³¹⁾, sub Michaelis Casimiri Radzivilli auspiciis haberi coepta sunt. Sed tantum abfuit, ut deliberarent, quomodo stipendium militi debitum ac minaciter ab eo postulatum persolvi posset, tota ut haec causa delato ad hunc finem consilio traderetur. Tantum abfuit, ut deliberarent de levanda miseria civitatis ex diuturnis bellis devastatae ac vacuefactae, ut constituerent pellendis ex Polonia Arianis Reipublicae incolarum numerum vel magis

¹²⁷⁾ Gordon I. pg. 269. 270.

¹²⁸⁾ Załuski Epistolae hist. fam. T. I. pg. 151. 152.

¹²⁹⁾ Kochowski Clim. II. pg. 512.

¹³⁰⁾ Załuski l. c.

¹³¹⁾ Ibid.

minuere¹³²). Erat jam scilicet, propter quod clerus saltem grato esset animo!

Ceterum apparuit, regem et reginam mirificum in modum civiles liberalesque fuisse et quaecunque orarentur, facile tribuisse; simul autem ubique impatiens quaedam expectatio magnarum quidem sed incertarum rerum animadversa. Electio magis magisque animos sollicitare et exasperare coepit¹³³). Aula oppositionem palatinatum quorundam paratam esse non ignorans, legatos eorum in suas adducere partes conata est, et Lubomirscium tam acerbis tractavit verbis, ut quodam die ille senatu cedere coactus esset¹³⁴). Quamquam manifestae illi offensioni specie satisfactum est et Lubomirscius subsellium suum recepit, aula tamen eum omnis oppositionis auctorem esse arbitrari non desijt, qui re vera fuit. In dies magis magisque intellexerunt, quam pernicioso elementa eligendi consilio continerentur; paullo post enim et Gallicae et Austriacae contentiones accesserunt¹³⁵). Inter aulici consilii adversarios rumores spargi coepti sunt, legatum Gallicum non solum nuntios terrestres, sed etiam senatores corrumpere conari; aula vero quam diligentissime Lisolam, legatum Austriae, custodiebat et captum Ludovicum de Davidt, Lisolae cubicularium, qui magna cum pecunia ad domicilium senatoris cujusdam ivit, Lubomirscius mareschallus ex auctoritate sua in carcerem conjici jussit¹³⁶). Quae omnia haud parum attulerunt momenti, ut aulae

¹³²) Vol. leg. IV. a. 1661. Secta Arianorum fol. 691. cf. Koch. Clim. II. pg. 511. Ostrowski, Dzieje i prawa kościoła polsk. T. III, pg. 285. Quae constitutio fuit instaurata constitutio ejusdem argumenti a. 1658 et 1659 facta. Eo ipso anno, quo primum illud crudele decretum in Arianos constitutum est (1658) Joannes Casimirus nomine „Orthodoxi Regis“ ornatus est. V. Lengnich, Polnische Bibliothek.

¹³³) Koch. Clim. II, pg. 502. Załuski l. c.

¹³⁴) Gordon I. pg. 270.

¹³⁵) Pufendorf Fr. W. IX. 16.

¹³⁶) Gordon I. pg. 270.

consiliis magis et magis populi ambitio offenderetur, consilium ipsum naturae suae obtrectaret et oppositio aucta multo majores vires assumeret¹³⁷⁾.

Joannes Casimirus, fortasse grato totius cleri animo confisus a. d. XVI. Kal. Aug. postquam nuncii terrestres cum senatu se junxerunt, consilium suum proclamare statuit. „Consedit igitur in solio regio a multis senatoribus et ministris circumdatus; regina in circulo nobilissimarum feminarum juxta fenestram aulae assedit, unde omnes videre et ab omnibus videri potuit. Milites in atriis collocati aditus loci, ubi comitia habebantur, custodiebant¹³⁸⁾“. Expectationis silentium ubi vox Mareschalli rupit, qui spectatores removeri jussit, Joannes Casimirus non per cancellarium, ut fieri solebat, sed ipse loqui coepit. Oratio ejus fuit longa, altera ex parte quasi simplex et ingenua, altera ex parte quasi obscura.

Tempore, quo Joannes Casimirus devictis omnibus hostibus, otiose regnare ac meliori fractae Reipublicae statui consulere potuit, successorem quaerit: et magno malorum numero, quae ipso adhuc regnante evenerunt, non incitatur ad agendum, ut emergeret ex illis, sed quasi persuadetur ei, minime ipsum esse idoneum, qui in munere perseveraret, — Joannes Casimirus, „vitae suae conscius nullam moram in eligendo successore optat“. Postquam asseveravit, non temere sed prudenter se consilium illud cepisse et grato quidem in Rempublicam animo eam ob rem esse, quod usque ad illud tempus reges ex sua familia ortos creasset; de amore suo erga patriam locutus est neque se facto illo ullum privatum commodum quaerere juravit; Deum testatus hac re Reipublicae libertati ullum damnum inferre se nolle; — pro certo promisit, in electionem sese haud immisturum esse et quemcunque ordines creassent, eum a se regem probatum iri, modo esset Romano-Catholicus multumque aetatis minor quam

¹³⁷⁾ Pufendorf, Fr. W. IX. 32. cf. IX. 11.

¹³⁸⁾ Kochowski Clim. II. pg. 505.

ipse; modo ne coronatus, aut nuper creatus quidam princeps aut potentis cujusdam vicini vasallus; praeterea minime se optare, ut Poloni eum dominum agnoscerent, qui cum eorum patria bellum gessisset, aut ejus filius esset, qui armatus hoc regnum adipisci studuisset etc. Denique de periculis, in quae Rempubli-
cam interregni tempore incidere oporteret, locutus: „Popule mi, inquit, quid amplius tibi facere potui, et non feci?“ — At annos jam tredecim regnaverat, neque ullo tamen modo meliorem Rei-
publicae statum reddiderat: si quando Respublica quasi ipsa si-
num vulneribus dilaniatum ipsi ostendisset, munus ei demandatum deposuisset. Animo igitur futura praesagiens mala, quibus ipse remoyendis nullo modo esset idoneus, „Utinam falsus sim, inquit vates! Si illa quam proposui electio postponetur, certo sciatis, hanc Remp. in Gentium direptionem incursum. Moscovia enim et Russia linguarum conformitatem interponent et Magnum Lithua-
niae Ducatum sibi destinabunt. Brandenburgicus cum Suecis de confinio Majoris Poloniae et Prussiae vel pacisci, vel etiam armis experiri in nostro theatro tentabunt. Austriaca vero Domus, licet sanctissimum in nos habeat animum, tali tamen direptione proposita Cracoviam non deseret, quia suam quisque curabit po-
tius Poloniae partem armis quaerere et retinere, quam totam an-
tiquis libertatibus contra vicinos Principes gaudentem tutam vi-
dere“¹³⁹).

¹³⁹) Oratio haec regia invenitur in libro, qui inscriptus est: *Swada polska i łacińska albo miscellanea oratorskie seymowe, weselne etc. p. Jana Ostrowskiego Daneykowicza zebrane.* Lubl. 1745. T. I. p. 219. 220. ita ut erat habita. Kochowski (Clim. II. p. 506.) nonnulla tantum ex ea annotavit, magis usus ea est Jemiołowski (p. 163). — In *Append. Diarii Europaei T. VIII. (Class. II. Nr. IX. p. 156—160)* invenimus quoque satis idoneum excerptum. — In *Discursu politico de causis et remediis malorum Poloniae.* Ed. 2da. ann. 1661 item hanc orationem Regis sub titulo „*Propositio Regia*“ invenimus (pg. 66—70.); sed cum hoc discrimine, quod supra citato loco, quo de

Finita regis oratione „alii aliam de ea habuerunt sententiam¹⁴⁰⁾. E cetera deliberatione apparuit, clerum gratum se esse scivisse, nam probavit „tam magnanimum regis consilium“. Senatorum alii conciones non frequentabant, alii tacebant, donec Andreas Maximilianus Fredro, Castellanus Leopoliensis, vir non minus doctrina et eloquentia, quam maximo patriae amore clarus, qui jam diu cives suos monebat: „Poloniam nisi Polonicis mediis et consiliis stare non posse“¹⁴¹⁾, electioni vivente rege obstere coepisset. „Doleo, elementissime rex, inquit, te coronam Po-

dividenda Republica agitur, legimus: „Moscos et Russi tentabunt Magnum Ducatum Lithuaniae avellere ad ipsos usque fluvios Bug et Narew dictos, et vix non ad Vistulam fluvium. Elector Brandenburgicus occupabit animum suum circa Majorem Poloniam aliosque sibi proxime limitaneos Palatinatus, certabitque de potioritate circa utramque Prussiam“. Quod fines fluvii illis circumscriptos attinet etiam G. S. Bandtkie (Hist. pol. Wrocl. 1810. T. II.) commemorat „Diarium scholarum piarum“, quo hi fines nominati sunt, et auctoritatem hujus assertionis demonstrare studet. Quæri quoque ex nobis potest quid in hac re verum sit? Certum nobis habemus regem sententiam in textu commemoratam dixisse, singularem vero limitationem supradictis fluvii ipsi adscribi non posse. Typographus dicti „Discursus politici“ adjungens illi hanc propositionem Regiam, salutem dicit lectori, qua occasione commemorat dua scripta, alterum sub titulo: Speculum judiciorum divinatorum in Regno Poloniae an. 1653; — alterum: Ultima admonitio Reipubl. Polonae a. 1659. data. Quae primus contineat divinare possumus ex libro: „Das verwirrte Polen“; secundum potuit respicere ea, quae Carol. Gustavus, Raccius, Elector Brandenburgicus (a. 1656) de regno Pol. inter se constituerunt (Puf. F. W. VI. 20—24) et specialiter fines partium quos sibi quisque parare studebat, nominari. Ut verum hoc „gemino scripto“ „singularis ac futuri propemodum praesaga de distractione Poloniae prudentia“ Regis consentiret, ea quae Rex in universonum dixit, secundum vulgata scripta specialiter notata sunt.

¹⁴⁰⁾ Jemiołowski p. 167. Kochowski Clim. II. p. 507.

¹⁴¹⁾ Andr. Max. Fredro, Scriptorum seu Togae et Belli Notationum Fragmenta etc. Dant. 1660. pg. 198: „Polonia vero nisi Polonicis mediis et consiliis stare potest, aliunde advectitia, uti non congenita sunt, etiam convertunt status naturam“.

lonicam uni capiti a Republica impositam, quae antiquitus dirumpi non possit, dirumpere statuisse,“ et regem oravit, ut „inauditam illam rem animo deleret“, pacem enim in patria modo ab hostibus liberata perturbatum iri et denique addidit: „Legum iudicio standum, quibus integris errare se malle, quam convulsis sapuisse“¹⁴²⁾. Insuper consilium regis a nuntiis terrestribus vehementius oppugnabatur¹⁴³⁾ adeo, ut Joannes Casimirus molestum sibi onus diutius ferre coactum se videret, tota autem Respublica in duas divisa esset partes, quarum altera venalem aulae et senatus animum, avaritiam „furiarum Gallicarum“ quereretur altera Condae pecunia emta probrosa carmina in licentiam libertatis inconsultae nobilitatis circumferens initum jam consilium ad finem perducere non desinebat.

§. IV.

Aulica factio quid contra reluctantem populi oppositionem machinata sit.

Consilium, quod illo tempore agitabat aula, haud ita novum erat, quamquam eo potissimum nomine oppositionis duces impugnarunt. Ludovici Regis enim, qui dum vivit filiarum uni coronam compararat¹⁾, exemplum imitatus Vladislaus Jagello I. succedendi jus filio conciliarat. Quem ob finem quum uterque rex (posterior

¹⁴²⁾ Kochowski p. 512.

¹⁴³⁾ Idem.

¹⁾ Naruszewicz, *Historia narodu polskiego*. T. X. p. 36. 60.

multum sane reluctatus²⁾) — nobilium ordini concessisset plurima, inde juris publici normae factae sunt, ita ut, quum Sigismundus I. a. 1530 filio succedendi jus conquisivisset normae illae publici diplomatis loco haberentur, quod Pactorum Conventorum origo habendum est³⁾). Quo actu rex, dum ejusdem auctores haberi vult ordines, non se ipsum, negat ullum detrimentum afferri liberae electioni, neque minus ordines tum demum Sigismundum Augustum a se Regem habitum iri profitentur, si condiciones, quae enumerantur, jure jurando sanxisset⁴⁾). Prima conditio, qua Henrico Poloniae corona demandata est, fuit haec:

ne posthac quisquam rex ipso se vivente successorem vel designaret vel designare institueret, ideoque titulo etiam heredis, Regibus Poloniae antehac solito vel ipse vel successorum ejus quisquam uteretur⁵⁾).

Eadem conditio a Stephano Bathorio in comitiis a. 1576 habitis confirmata⁶⁾ a Sigismundo III. quum in susceptionem incurrisset ne principis cujusdam Austriaci gratia regno Polonico se abdicaret ita rata habita est (1593), ut adderetur:

quicumque, rege vivente, Regiam dignitatem appetere ausus esset, et ipsum hostem patriae ejusque asseclas proditores habendos esse⁷⁾).

Propter seditionem a Zebrzydowskio motam Sigismundus III. declarationi, quam supra exhibuimus, vel hoc addere coactus est, ut quicumque coronam hac injusta ratione sibi comparare esset

²⁾ Martini Cromeri Polonia etc. ed. Colon. 1589 p. 293.

³⁾ Vide supra notam 7am §. 1. pg. 38.

⁴⁾ Vol. leg. I. Ann. 1530 fol. 496. cf. ibid. Constitut. a. 1538 fol. 515 at constit. ann. 1550. Vol. leg. II. fol. 592.

⁵⁾ R. Heidenstein rerum Polon. a morte Sig. Aug. lib. XII. p. 38.

⁶⁾ Vol. leg. II. a. 1576. fol. 897.

⁷⁾ Vol. leg. II. a. 1593. fol. 1397.

ausus, non solum haberetur patriae hostis, sed in perpetuum indignus quoque, qui ad Poloniae regnum vocaretur⁸⁾.

Quibus omnibus neglectis legibus Magnus Regni cancellarius, anno 1626 in comitiis proponere ausus est hoc, ut periculosissimo quum uteretur statu Respublica successorem regni designaret. Omnes ordines exhorruere hac audita voce et fremitu concitato ad legum poenas ejus auctorem depoposcissent, ni difficiliore temporum rationes silentio potius illam indignationem tum premere coëgissent⁹⁾. Itaque a. 1631 illa declaratio omnibus partibus repetita et juris Polonorum publici quasi fundamentum rite sancita est¹⁰⁾. Praeter quae omnia extraordinaria edicta, quibus abunde intelligas, Aulica consilia non caruisse exemplis, sed semper illis, quia legibus repugnassent, rejectis, nunquam non Pacta Conventa hoc sanciant: ne Rex sibi successoris adjuvandi jus arroget: id quod religioni sibi fore Joannes Casimirus quoque jurejurando promiserat¹¹⁾.

Tale igitur momentum legibus sancitum, quo validiorem oppositionem, eo infirmiore aulac factionem reddidit, qua populi libertas oppressum iri videretur; res enim facta, omnibusque vitae partibus confirmata, neque minus traditione certisque regulis definita jus, immo officium habet obtinendi sese cum vi ac constantia adversus injustum quodvis molimen, et sese oblinebit, nisi praevalente oppositionis vi oppressa fuerit. Nostra in causa nihil erat, cur oppositio majorem factionis aulicae vim metueret quum verum ejus columnen positum esset extra Reipublicae fines. Nihilominus non errare putamus, si hoc consilium, qua tum conditione Respublica uteretur, peragi potuisse arbitramur, non hac quidem, quam tentaret

⁸⁾ Vol. leg. II. Ann. 1607 fol. 1596. 97 cf. Piasecki, Chronica gestorum in Europa. singul. pg. 248 qui obiter tantum illius constitutionis mentione facta controversis non premit.

⁹⁾ Piasecki l. c. pg. 385.

¹⁰⁾ Vol. leg. III. Ann. 1631 ol. 137 cf. Piasecki pg. 421.

¹¹⁾ Vol. leg. IV. P. C. Joann. Casim. fol. 193 init.

aula, ratione. Major vero senatorum pars, aulae consilio probato, se obligavit, ut auctoritate sua vel nobilitati persuaderent, quam utile et necessarium illud ipsis esset. Num igitur id jam assecuti sunt, quum rex eligendi successoris consilium ipso vivente ordinibus convocatis proposuisset? Minime. Vidimus, quae causae necessitatem aulae imposuerint, ne diutius hanc rem differret: populi commoda non respiciebat, sed auctoritate movebatur externa propriisque angustiis. Quid mirum igitur, si nova haec res destituta specie legitimae reformationis, cui Respublica probabiliter cessisset, violentus quasi impetus videretur, factus ille in mores patrios, instituta, libertates. Hac igitur opinione nobilitatis animis imbutis, nulla jam cuiquam relicta erat spes, fore ut consilia legitime aula exsequeretur, quippe quae, ut descenderet ad vim, necessariam non haberet audaciam. Reformationes enim tum demum et incrementa capere, ubi naturali et necessario quodam vinculo animi conjuncti sunt, et ita demum perfici possunt, ut cives conscii sibi sint totam se debere salutem vinculo, quod ipsos firmiter juncturum sit. Imperio autem familiares modo res respiciente hic patriae amor, haec animorum conjunctio vim illam, quam secundae res ipsis praebent, consequi nequeunt. Utraeque autem partes in hoc certamen prodeuntes socios habuerunt, quorum animi virtuti confidere non semper potuerunt; secernebantur autem eo modo, quod regni vel aulicae factionis causa suspecta et odiosa esset, oppositionis popularis. Utraeque igitur id contendebant et elaborabant, ut sententiae suae ac causae victoriam pararent; verumtamen hac in pari contentione eo inter se differebant, ut alia aliis armis uteretur; nam factio aulica magis aggrediendo, popularis magis patiendo ac sese defendendo agebat. Finis aulae propositus i. e. successoris electio perficienda, variis de causis non fuit exiguus. Reginae res familiares aulam Gallicam, ut acerrime illam promoveret causam, impulerunt et Maria Ludovica gloriam

auctoritatemque suam ex consilii successu pendere jam existimabat¹²⁾, obrectatio praestantissimarum in Polonia gentium et invidia cupiditates, propria commoda quam maxime irritaverunt et illustrissimas familias ad diversa compulerunt castra. Contentio illa de designando regni Polonici successore orta statum Reipublicae convulsura et aulae sectatorum festinatio, qua nobilitatem in suas pertrahere studerent partes, libertatem ac totius ordinis jus equestre in summum adductura discrimen videbatur. Quae omnia acerrime inter se pugnabant, quum frequentissima nobilitas Varsoviae deliberaret ac propter successoris quaestionem ceteras omnes Reipublicae res, quamvis necessarias negligeret. Interea dum deliberatur Romae, periit Saguntum¹³⁾. Vix enim comitia ad finem perducta sunt, quum nuntius allatus est ex Ukraina, exercitum, expeditione a. 1660 Lubomirscii ductu prosperrime adversus Szeremetew facta, indignabundum, quod stipendium non daretur neque ordines postulatorum rationem haberent, ducibus militiam detrectasse et confoederationem fecisse¹⁴⁾, in qua tam diu permansuros se esse jurassent, donec debitum stipendium ipsis persolutum esset. Sublatis inde summis quibusque magistratibus Samuel Swiderscius centurio in Constantini Wiśniowieccii principis legione, mareschalcus factus et ita potentia, quamquam per se non infesta, inflexibilis tamen adversus dominantes est constituta¹⁴⁾.

Nec levius mihi hoc loco esse videtur, illud perquirere, utrum illa militum confoederatio ab altera certantium inter se factionum sit excitata necne? Factio aulica, hujus rei culpam op-

¹²⁾ Caillet l. c. pg. 369.

¹³⁾ Quod Grauertus l. c. initium confoederationis in hoc tempore collocat, errat. Ejus enim primum exemplum ante ducentos jam annos factum est. cf. Lelewel, Considérations sur l'état politique de l'ancienne Pologne et sur l'histoire de son peuple §. 125. cf. etiam Excursum, quem „de Libero Veto“ huic nostrae dissertationi adjunximus.

¹⁴⁾ Kochoński Clim. II. pg. 513. cf. Węstawski l. c. p. 149. 150.

positioni vulgo tribuens, Lubomirscium inprimis istius sceleris accusavit¹⁵⁾; oppositio aulem hoc malum factionis aulicae artificiiis deberi contendit¹⁶⁾, exercitus vero ipse facinoris sui causam ante omnia inde repetebat, „quod a Ducibus Exercitus veteranus Polonicus miles contemptim, extraneus summo in honore habeatur“ — postea „quod duces exercitus, nec non cancellarii, etiam spirituales (!) tum et referendarii legiones suas, quibus non ad necessitatem Reipubl. sed maxime ad privata sua utuntur servitia, habentes pro eisdem militibus suis prae equitatu Polono summas pecuniae ingentes tam a thesauro, quam a variis Palatinatibus acceptas, easdemque, iis inexsolutis, pro suo privato tantum convertunt commodo“, . . . deinde quod „insatiabili ducum exercitus avaritia Reipublicae thesauri continuo exhaurirentur ita ut valde sibi esset metuendum ne justo privaretur stipendio“¹⁷⁾. Secundum autem ea, quae illa de re comperta

¹⁵⁾ Processus iudiciarius in causa Georg. Lubomirski in Diar. Europ. T. XIII. App. Pars III. pg. 4. sqq. cf. ibid. Manifestum G. Lubomirscii p. 94. 95. 103. 105.

¹⁶⁾ Lubomirski, Manifest. l. c. pg. 103—105. Załuski p. 153. „Seditio etiam exercitus Polonici id temporis coorta non tantum penitus neglecta fuit, sed in prosperis ducebatur, quasi rebus Gallicis promovendis opportune eveniret etc. etc. cf. ibid. p. 802. cf. Pufendorf, F. W. IX. 46. „Ac confederatus exercitus Borussiae motus ab aula excitatos interpretabatur, ut occasio foret Suecos in eam provinciam pertrahendi, qui Gallis sociati Regem Polonis essent obtrusuri libertatem ejus Regni destructurum“. Cf. Kochowski Clim. II. p. 514. 515. 516. 527.

¹⁷⁾ Rationes initi per exercitum Quarcianum Regni Poloniae vinculi seu Charitativi nexus, per eundem exercitum anno 1661 praesentatae. In Diar. Europ. T. VIII. Append. Class. II. N. XII. pg. 173—184. Inprimis hic locus commemoratu dignus nobis videtur (pg. 176.) „et ecce, in desperatissimo jam pene casu benignissimus Deus . . . suggestit et suppeditavit per hoc vinculum nexus Charitativi medium, ne totaliter et libertas periret, et extraneis Polonia adimpleretur, excitata in heroicis militum pectoribus veteri Polonica virtute, quam nunquam nulla sinistra valebit interpretatio“. Idem Wesiawskium (pg. 226.

habemus, tantum abest, ut hanc quaestionem planissime solvamus, ut vario modo, quae hac in re efficacia fuerint, elementa explicare possimus, nihil dijudicantes, quod eorum primum aut certum fuerit.

Militum in Polonia ex nobilitate, ad quam posthac redibant, profectorum mores, quibus cives assueverant, superiores fuerunt moribus militiae tempore et expeditionis bellicae assumptis, id quod in bello contra Cosacos gesto, praecipue statim post proelium Berestecense (a. 1651) factum apparet¹⁸⁾. Nobiles Polonici liberorum singularique jure ornatorum civium personas sustinentes ad castra pervenerunt, unde dimissi ad quotidiana negotia facilitatem bellicam afferebant. Quod quamquam de motione generali potissimum dici potest, justus nihilominus exercitus qui Quarcianus appellabatur eodem fuerat animo. In eandem classem vel milites mercede conducti referri possunt, eorum enim duces et ipsi fuerunt maxime nobiles Poloni. Ex quo factum est, ut exercitus quam maxime facillimeque regiam potestatem coerceret. Neque enim quidquam levius in Polonia simpliciusve esse poterat, quam justa ac legitima oppositio armis instructa contra regnum officiorum oblitum. Etenim si causa, quam ejusmodi seditio spectabat, popularis fuit aut postea demum popularis facta insuperque ab optimatibus quibusdam defensa est, mira celeritate participum seditionis numerus augebatur. Quam ob rem rex nihil novi in Reipublicae constitutione perficere poterat; quamquam enim ministri corrumpi poterant, leges Reipublicae fundamentales custodiebantur civium animis et studiis, qua in re singuli cives milites, singulique milites liberi erant

innuere putamus, quum scribat: „Malorum causam (h. e. quod Moscovitici victi non essent) esse non soluta stipendia militi: qui ne venalis videretur ob formatam Electionem Condaeanam, vivente Rege, juribus Patriae praejudiciosam, jugum ducum excussit“.

¹⁸⁾ Pastorius, de bello Scyth. Cosac. pg. 199. 200. Kochowski Cim. I. p. 367. 368. Grabowski, Starożytności pol. T. I. pg. 317. cf. Grondski pg. 160.

cives ¹⁹). Itaque nihil fuit verisimilius, quam quod exercitus, qui factionem aulicam luxuriae insimularet, oppositioni se adjunxit. Hujus vero rei argumenta perpauca sunt; contra optima quaeque expectasse ab exercitus confoederatione factionem aulicam videmus, quae eadem excitavisse confoederationem dicitur. Quae utot se habent, id quidem constat, aulam fortiter confoederationi non obstitisse, ac valde errasse ratam: „Ten Świder nic nie przewierci!“ ²⁰)

Attamen paulo post unusquisque sibi persuasit, quanta pericula omnibus Reipublicae conatibus imminerent ex hac militum confoederatione. Extemplo enim Świderscius cum toto regni exercitu, qui ad Ukrainae praesidium locis desertis incultisque stativa habebat, a Chwastovo per Lubar, Zaslav et Leopolim profectus ad Vistulam castra in oppido Szczerzec ad Leopolim locat et de foedere constituendo cogitare coepit. Irriti quoque fuere duorum regni ducum, Potockii et Lubomirscii, conatus revocandi ad obsequium repugnantes ²¹), contra simulates iis cum ducibus intercedentes, probabiliter illae a factione aulica auctae ²²), in dies crescebant. Quod exercitus regni exemplum secutae sunt perbrevis tempore post copiae Lithuanicae, detractata Paulo Sapiehae duci obedientia et electo sibi Zyromscio quodam Marschalco ²³). Nec diu copiae ipsae, quibus Czarniecki praecerat, cunctatae sunt ²⁴).

¹⁹) Łubieński Opera posthuma (pg. 193. sqq.) praeclare idem argumentum tractat confoederat. a. 1622 factam spectans ubi agit de rebus militaribus.

²⁰) Kochowski Climacter II. pg. 514: „a principio ita contemptui habita est gliscens seditio, uti in aula hoc in proverbium abiret: Parum aut nihil ea terebra (ad Świderscii vocabulum alludendo) perforari posse“.

²¹) Jemiołowski pg. 168. Manifest. Georgii Lubomirscii l. c. pg. 94. 95.

²²) G. Lubomirski Manifestum l. c.

²³) Jemiołowski p. 170.

²⁴) Georg. Lubomirski Manifest. l. c. pg. 94 et 26.

Quamquam confederati exercitus pertinacia Reipublicae salutem quam periculosissima esse videbatur, aula tamen illius confederationis consilia aut facile turbatum, aut se in suis consiliis ab ea haud impeditum iri sperabat. Quid fuerit, cur aula vel post illa, quae in comitiis modo habitis facta sint, de consilii successu non desperaret, dicere quidem nequimus, verum tamen id certo constat, etsi major civium pars illud consilium repudiaverit, quaestionem eligendi vivente rege successoris nullo comitorum decreto remotam esse; contra Lithuaniae nuntii terrestres statim post vehementissimos concionis, in qua haec causa agebatur, motus manifestationem ad acta publica dederunt, qua declararent illam Reipublicae partem, quae in perficienda successoris electione vivente rege patriae salutem positam putaret, praecipue vero Lithuaniae magnum ducatum, qui novissimo tempore vehementissime a Moschis vexatus esset, quacunque ratione, quin etiam posthabita unione cum Polonorum Republica intercedente, illud consilium quam celerrime perficiendum sibi proposuisse²⁵⁾.

Qua in perturbatione, ubi ordines in duas sibi infestas partes discedentes universi populi discordiam excitarunt, ubi major exercitus pars — non excepta Lithuania — magistratibus obedire noluit et de Republica male administrata graviter quae est, Joannes Casimirus expeditionem non perfectam in Russiam, quae in Lithuania atrociter saeviebat, ad finem perducere decrevit, sperans exercitum ad obsequium quam celerrime esse rediturum, ubi „Majestatem“ in hostium fines proficiscentem videret!

Cum tribus igitur milibus militum ad quos mille et quadringenti recens conducti accedebant, Czarneckio et Sapielha comitantibus, Joannes Casimirus expeditionem suscepit, postquam

²⁵⁾ Vide manifestationem hanc in *Diario Europ.* XIII, p. 140—142. cf. Caillet l. c. pg. 400. Podgórski, *Zródła do dziejów* (polsk. Wrocł. 1840. T. II. pg. 341.

delato ante ad Czarneckium summo imperio, quod jure Lubomirscio, campestri exercitus duci, debebatur, opes suas multo magis fregit populique partes, ipsi ut resisterent, incitavit ²⁶⁾. Quae quamquam agendi ratio temeraria fuerat, expeditio tamen bene ac feliciter eventura videbatur. Priusquam enim ubique dissipati Moschi maleque instructi, quantus Polonorum numerus esset, comperiri poterant, Grodno et Wilna oppida haud magno conatu capta et Moschi Mochilewo ab incolis pulsati sunt ²⁷⁾. Nec tamen res venire poterat ad ultimum discrimen, nisi sperari liceret, fore ut confoederatus exercitus contra hostem proficisceretur. Confoederatus miles ad exstinguendum quidem hostem paratus erat, sed minime ad dissolvendam confoederationem ²⁸⁾. Lithuani aggressi sex milia Moschorum, flumen Desznam transitura, prope deleverunt ²⁹⁾ nec cunctanter in discrimine Czarneckii dicto paruerunt ita ut ad cladem Moschis, duce Chowanscio ad Głębokie haud procul a Polock illatam (postridie Non. Nov. a. 1661) multum conferrent ³⁰⁾; sed nihil praeterea facere voluerunt, nisi debitum ipsis antea solutum esset stipendium. Quod aegre ferens Joannes Casimirus expeditione perficienda omissa Varsoviam rediit ³¹⁾, neque ex novissimis motibus, quos Cosaci et Tartari, alteri Tetera, alteri Mehemeto Gerejo duce, contra Moschiam excitarunt, commodum capere potuit.

Dum copiae Lithuanicae, quamquam suo foedere stabant, agere contra hostem non cunctantur, regni exercitus, postquam a Szczerzec ad Zawichosć oppidum Vistulam transgressus Kielcis castra locavit, in sententia sua permansit, ne quid prius facturum

²⁶⁾ G. Lubomirscii Manifest. I. c. p. 108.

²⁷⁾ Kochowski II. p. 520.

²⁸⁾ Kochowski Clim. II. pg. 521.

²⁹⁾ Kochowski Clim. II. pg. 522.

³⁰⁾ Kochowski p. 524.

³¹⁾ Kochowski II. p. 527.

se esse, nisi debitum ipsis stipendium solutum esset. Świderscius Kielcis in arce episcopi Cracoviensis habitavit et secutus exemplum unionis, quam Polonia cum Lithuania Vladislao Jagiellone rege inierat, Lithuaniae regniq̄ue exercitus consociare studuit, id quod ei mox successit. Omnes enim conatus quum a Lubomirscio, tum a Potockio facti, ut Świderscium in expeditionis societatem adhiberent, irriti fuerunt³²⁾; et Joannes Casimirus, postquam inconsiderate gesto tunc temporis bello, quo exercitui repugnabat, dignitati suae rursum detrimentum attulit, exercitus confoederati repugnantiam cleri auctoritate reprimere studuit. Quum autem episcoporum et Cracoviensis et Cujaviensis placidae orationes discordiam inter exercitum ac regnum concitatum tollere non potuissent³³⁾, coactus extraordinaria indixit in diem a. d. X. Kal. Mart. a. 1662 comitia, ad quae etiam confoederati exercitus legatos convocavit. Fortasse intestinis illis discordiis opprimi posse injustum aulae consilium eligendi successoris vivente adhuc rege videbitur, quippe ea quaestio plurimum ad omnem hunc tumultum valuit³⁴⁾. Pecunia, quae exsolvendo quod debebatur stipendium erat destinata, in usum factionis aulicae conversa est³⁵⁾; discordia ordinum gravius ea re accensorum, invidia familiaris etc., totius populi auxit contentiones ac mala, quae reginae in primis ejusque partibus culpaē dabantur³⁶⁾. Si factio aulica populi magis salutem quam suas res curasset, consilium, quod rebus ita comparatis nullo modo perfici potuit, abjiciendum ei fuisset; sed altera ex parte eo iam processerat, unde commode recedere non possēt, altera ex parte intestinis his ipsis discordiis brevi optime fruitura

³²⁾ Jemiowski pg. 178.

³³⁾ Kochowski II. pg. 532.

³⁴⁾ Kochowski Clim. II. pg. 527.

³⁵⁾ Kochowski Clim. II. pg. 527.

³⁶⁾ Kochowski Clim. II. pg. 529.

esse sibi videbatur, ita ut vel ad vim parata esset, modo duci Andegavensi successionem pararet. Condaeus voluntate ultimorum comitiū patefacta, expe- ctationibus suis destitutus, per legatum priusquam ordines dis- ccessissent apud reginam et utrosque cancellarios multa conquestus est, ipsius existimationem ita in periculum esse adductam, quum a Regina et tam Regni Poloniae, quam Ducatus Lithu- aniae Senatu, non modo manibus subscripto, verum etiam mul- torum ex illis juramentis confirmato consensu cautum sibi esset, ut filius suus, nemine contradicente, sub liberae electionis titulo in Polonorum regnum succederet; jam plurimos sibi eo nomine ultra congratulatos esse: nunc se principem ex sanguine regio oriundum, nullo honesto modo recedere posse et priusquam ad extrema filio Polonorum regni parandi causa descenderet, a regina duobusque Cancellariis, auctoribus quasi et promotoribus ejus rei, certam declarationem postulavit³⁷⁾. Quamvis talis oratio ex publicis privatisque, quas clarius exponere nequimus, rationibus, quae inter Condaeum aulamque Polonicam in- tercedebant, modo intelligenda ac forsitan probanda esset, factio tamen aulica postulationibus, quarum mentio jam facta est, eatenus modo sufficere potuit, ut se omnia experturam esse diceret, ut quae Condaeo principi essent facta promissis staretur. Quem ad finem quum validum auxilium externorum necessarium fore jam omnes intel- ligerent, praesens auxilium ut afferret incitare studuerunt Galliam, quae paratam se ad hoc esse declaravit: id quod apertum est illa Cancellariorum Reipublicae declaratione, qua magni Condaeii iram mitigare studuerant. Negant enim ii ullo labori se peper-

³⁷⁾ Podgórski l. c. T. II. pg. 209. Nr. 41. Vide scriptum hoc etiam in: Diario Europaeo (T. VIII. App. Class. II. Nr. XVI. pg. 193. 194.) insertum. Hac vero re duo haec documenta inter se differunt, quod hic Condaeus ipse coronam sibi exposcit, illic filio suo eam parare studet. Posterior ratio est vera et textus a Podgórskiō publici juris factus omnino est correctior uberiorque.

cisse, ut Angiani ducis electio ultimis in comitiis perficeretur, sed eam utraque domo Galliae infesta repugnante, ad irritum esse redactam; jam sibi Varsoviae de Lumbres, Gallicum legatum, simul cum Suecico media proposuisse, quibus optatus eventus successurus esset³⁷. Gallici vero legati consilium maxima cum fiducia initum fuit hoc: „ut viginti quatuor millia Gallici exercitus in Borussiam procederent, ubi castrorum gubernator optime eos excipere est jussus, Suecorum autem copiae, quas item legatus Suecorum promiserat, in Livoniam procederent et inde auxilii Magno Lithuanae Ducatui ferendi causa, Lithuanico jungerentur exercitui, ad quos et Stephanus Czarnecius cum copiis adhuc sibi fidelibus accessurus esset, deinde Lithuanos, qui jam ultro aulae consilio favebant, et prius a regno avelli, quam iis quae Serenissimo Principi promiserant, non stare malebant, conciliarent aut vi, si qui reluctarentur, eos cogerent. Quod si factum esset, Galliam ac Sueciam, quamquam non diuturnam inter Poloniam Moscoviamque pacem esse composituras; deinde sperabant quoque, fore ut simul auxiliis Gallorum, Suecorum, Cosacorum, Tartarorum, Lithuanorum aucti et stabiliti a prima non recederent declaratione, immo firmiter in eodem perseverarent proposito facileque nobilitatem regni Pol. in eandem sententiam pertraherent. Quum vero Austria nonnullos in primis eorum ad resistendum exhortaretur, imperatori aliae obortae sunt difficultates. Declarant enim legato, jam mississe se ob id nuntium ad aulam imperatoris Turcici, qui eum Gallicis Suecisque auxiliis promissis ad propagandum bellum contra Austriam susceptum moveret. Praeterea ei indicant, episcopum Valachicum modo ad Hungaros se misisse, qui rationem ipsis ostenderet, qua Habsburgorum jugum excutere possent³⁸).

³⁷) Podgórski II, pg. 340 — 342. — In Class. Iida, Appendicis Diarii Europ. T. VIII, Nr. XVII, invenitur etiam hoc documentum; sed tantummodo, idque haud bene excerptum. Apud Podgórski T. II, pg. 195 invenimus haec: „Hic vero Legatus (Condae) ante festa Solemnia

Quae omnia dicta licet res gestae secutae non sint, elucet tamen exsequendo, quod semel jam captum erat, consilio summam curam impensam esse. Exeunte enim Septembri mense a. 1661. Tottus comes, Suecorum legatus, Sueciae nomine foedus cum Galliae regno Fontainebleau icit,³⁹⁾ quo secundum sacretam notam Suecia, ut Angiani ducis clectio vel armorum vi perficeretur, duodecim milia militum se paraturam esse, Gallia vero quadraginta octoginta milia thalerorum quotannis se soluturam esse, et si accideret, ut Sueci in Germania invaderentur, praeterea intra sex annos sedecies centena milia thalerorum daturam se promisit⁴⁰⁾. Priusquam vero aula rem sibi propositam aggressa est, confoederati exercitus duces consiliis conciliare suis studuit. At jam vidimus, quam pertinaciter in proposito suo non redeundi prius ad obsequium, quam solutum esset debitum stipendium, confoederatus regni exercitus permaneret: ceteroquin numerus (triginta milia⁴¹⁾ repugnantium, adjuncto confoederato Lithuanorum exercitu, valde auctus est⁴²⁾, „ac ubi gravibus conatibus suppetere jam vires cognoverunt, audacius tempore procedente vociferare, injuria esse retenta aera, praesentem Reipublicae statum, qui corrigendus esset, minime rerum sibi placere“⁴³⁾. Quae militaris turba bene constitutam Rempublicam imitata severas sibi scripsit leges ea sedulitate agens „uti non in tempus aliquod, sed in per-

Nativitatis Domini proxime praeteriti an. 1661 in Poloniam iturus, in itinere ab exercitu foederato intercipitur cum litteris jamjam recensitis“. cf. Puf. Fr. W. IX cp. 28. Eos Hungaros, quibus rerum publicarum status improbaretur, cum aula Polonica literarium commercium habuisse, commemorat Mailath quoque (Geschichte Oestreichs) T. IV. pg. 65.

³⁹⁾ Du Mont, Corps diplomatique T. VI. pars II. pg. 381.

⁴⁰⁾ Schoell l. c. T. XIII. p. 30. 31. Kochowski III. p. 18. cf. p. 131. cf. Mémoires de l'abbé de Choisy (Petitot, 2de série T. LXIII. pg. 268. 269.)

⁴¹⁾ Koch. II. pg. 529.

⁴²⁾ Ibidem.

⁴³⁾ Ibidem.

petuum novi legesatores Nexui suo consulturi esse viderentur⁴⁴). Ac tota foederis illius forma quidem ipsa a Reipublicae administratione minime differebat, sed differebat hac exsequendi forma. Optima enim apud confoederatum exercitum exercebatur disciplina: incolae non vexabantur, delicta omnia puniebantur ac sermonibus jam divulgabatur optatum, ut justii duces eandem sequerentur disciplinam⁴⁵). Quae quum ita essent, confoederatus exercitus ita est viribus auctus, ut non aulae modo artificiiis, sed externis etiam si quae advenirent, auxiliis resisteret, quippe impetus ab externis in eum veluti in Rempublicam factus esset iudicatus et ad arma vocasset totum populum. Ceteroquin aulae factioni id spectandum erat, ut prius quam indicta haberentur comitia, consilium suum exsequeretur. Sed quomodo rem illam est aggressa? Si licet nobis iudicare ex illa agendi ratione, quam factio inerat aulae, dicamus oportet, eam nequaquam ingenuis aut honestis usam esse artibus. Confoederatus exercitus pecuniae inopiam questus quum ducibus obtemperare noluisset — aula sperabat, fore ut pecunia reconciliaretur!

Jam regina provisura, ne nuntii a confoederato exercitu mittendi in proximis comitiis res referrent, quae a debiti stipendii quaestione longius remotae prius consilia aulae, quam exsequi coepta essent, turbarent, mense Octobri a. 1661, per Przywickium, monachum ex ordine divi Bernardi, ad Borzęckium, Vice-mareschalcum confoederati exercitus, Kielciam missum cognoscere cupiebat, quae et qualia puncta in futuris Comitiis proponenda confoederatus exercitus concluderet non quod illa irrita facere studeret, sed addere insuper, et appositis clausulis vallare suggerereque modos, quibus confoederati milites felicem eventum sortiri possent, et vellet sacrosancti Nexus hujus fieri Protectrix, si confoederatus exercitus missis

⁴⁴) Ibidem.

⁴⁵) Jemiołowski pg. 170. 171. cf. Koch. Clim. II. pg. 528. 529. cf. Clim. III. pg. 6.

nuntiis eo nomine supplicaret. Porro id monetur, confoederato exercitui magna a legitimis ducibus imminere pericula, simulque enuntiatur, paratam se esse si sua consilia probata essent, omni tempore eos certiores facere de consiliis adversus eos Varsoviae structis struendisve. Insuper regina, ut ostenderet se ex animi sententia confoederati exercitus rebus consulere non modo litteras propria manu scriptas misit⁴⁶⁾, sed, quod majus est, „exemplis globulis precariis, quibus crux appensa erat, compositis in modum Crucis digitis juramento firmavit ea, quae in assecuratione scripta sunt“. Przywickius, quum rogasset, ne secreta divulgarentur, callida deductione hoc proponit Borzeckio praeceptum: „ne spernas, inquit, opportunitatem, quando Deus portam pandit ad altiore[m] fortunam; nec enim duntaxat verbis promittit, sed realiter jam implere incipit (scilicet regina) dum meo usa auxilio mittit ad praesens hos, quos pollicita fuerat, aureos et habeo illos penes me. Asseverat praeterea, quod praeter caeteras altissimas promotiones quotannis e thesauro proprio, quamdiu vivet, pendit tibi jubebit mille aureos Hungaricales“⁴⁷⁾. Elucet autem ex illa instructione eodem tempore Borzeckio tradita, famam de Suecicorum auxiliorum adyentu contra confoederatum exercitum jam percipuisse; deinde, comitiis proximis de perficienda Angiani ducis electione aulam acturam esse, confoederatoque exercitu ad id lubenter uti voluisse. Quem ad finem susceptae rationes non modo non aula dignae, sed vulgares admodum et abjectae. Omnibus enim rebus factio utebatur aulica, ut oppositionis duces, qui Austriae partium studiosissimi habebantur, copiis invisos redderet, ne dubitabat quidem multitudinis avaritiam depopulandis Lubomirsci bonis excitare, quin etiam eidem suadebat, „ut Ligae commodo prospectura optimatum cuidam“, prae-

⁴⁶⁾ Georg. Lubomirski Manifestum I, c. pg. 112.

⁴⁷⁾ Georg. Lubomirski Manifestum I, c. pg. 110. 111.

cipue Sobiescio, „qui est inimicissimus Mareschalco“ sese committeret⁴⁸⁾).

Quamquam homines pellicere posse ipsae factionis aulicae conditiones videbantur, vim tamen prorsus necopinatam propter diabolicam quae iis inhaerebat naturam exserebant; illa enim omnia Borzecki nihil curans cum Świderscio communicavit. Cichański quidam centurio, quem aula instructione consiliorum suorum participem nominaverat, Czartoryscio tantum episcopo deprecante ita vitam servare potuit, ut proditor ex ordinibus pelleretur⁴⁹⁾; ac brevi totus exercitus vehementer perturbatus his aulae machinationibus et accensus indignatione vociferare, ab illam se latrones sicariosque haberi⁵⁰⁾.

Aula igitur quum videret, non modo nihil jam se perficere hac via posse; sed tantummodo consilia sua magis magisque diffamari, rem violenter aggrediendam sibi esse putavit. Novo igitur inter Galliam ac Sueciam foedere (a. d. XV. Kal. Febr. 1662) posterior obligata est, ut illis, quas supra diximus conditionibus non solum contra externos principes, qui Angiani ducis electioni resisterent, verum etiam contra confoederatum Polonorum exercitum auxilia mitteret⁵¹⁾.

Quibus omnibus ex rebus quodsi non sponte per se pateat, omnes illas, quibus aula usa sit, rationes non valuisse ad perficiendam hanc electionem, ad id praecipue animos adverti velimus, quod jam foedere a Gallia et Suecia icto innuit, quaestioni illi praeter prorsus Polonicam etiam magis universalem vim fuisse.

Jam aula Austriaca, id quod ipsius commodum postulabat, resistere non desit, ne ullus Galliae princeps Polonorum rex eligeretur. Quae molimina contentionesque Habsburgorum eo minus destituebantur eventu, quo magis interim cum studiis congruebant oppositionis⁵²⁾.

⁴⁸⁾ Ib. pg. 112. 113. cf. ib. pg. 136. 137.

⁴⁹⁾ Koch. III. pg. 6.

⁵⁰⁾ Koch. pg. 10.

⁵¹⁾ Schoell. T. XIII. pg. 31.

⁵²⁾ Pufend. Fr. W. IX. cp. 16. 20. 35. cf. G. Lubomirski Manif. pg. 113.

Callidis suis consiliis conditioneque qua utebatur Elector Magnus, qui tantum abfuit, ut Austriaca consilia promoveret, ut Germanici tandem principis electionem in votis haberet⁵³), coactus, ut cum Galliae adversariis faceret, a popularibus Polonorum partibus stetit, quum successoris electio rege vivente nullum ei omnino commodum promitteret. Sed quamvis multo magis quam Austria faceret cum hac factione summis tamen contendit viribus, ne sibi factionem aulicam infestam redderet⁵⁴). Familiaritas ejus cum Lubomirseo ante ultima ipsa comitia renovata quamquam interdum turbata permanebat⁵⁵); quum illam conservari multum ejus interesset; neque enim solum res Elbingensis magnas adhuc difficultates afferebat, sed etiam pristinae traditiones Borussicis incolis Polonici regni memoriam suscitabant, quam Poloni alere nullo modo negligebant⁵⁶). Praeterea Suecia quoque ei infensa neque Austria, neque Gallia ipsi benevolentissima fuit⁵⁷); apud Polonorum autem nobilitatem et confederatum exercitum nomen ejus valuit⁵⁸). Interea et Suecorum in eum similitates desierant, atque Austria arctius cum eo fuit conjuncta⁵⁹). Itaque id unice contendit ac laboravit, ut opportuna eadem conditione in posterum, nec quoquam usus hoste suis modo rebus consuleret.

Cujus viri callidissimi cautissimique ingenium quodsi minus notum esset, fortasse cui tale studium abjectum videretur et ignavum, sed quum ita res sese haberent, unicum fuit rectumque, quo ad conspicuum perveniret locum.

⁵³) Pufend. IX. cp. 16.

⁵⁴) Pufend. IX. 11. 13. 15. 16. 20. Studiosissimus aulae assecla magnus cancellarius Prażmowski mercenarius ejus fuit. Vide litteras Electoris ad comitem de Schwerin apud Orlich. Geschichte des preuss. Staates im 17. Jahrh. Berlin 1838. T. III pg. 132 Nr. 127.

⁵⁵) Pufend. IX. 12. 14. 46.

⁵⁶) Pufend. IX. 47.

⁵⁷) Pufend. IX. cp. 16. cf. 12. 13. 15.

⁵⁸) Pufend. IX. 36. cf. 46.

⁵⁹) Pufend. IX. 29 — 31, 32.

Aula vero Polonica viam in illa successoris eligendi quaestione ingrediendam tam diu Electorem celavit, quamdiu sibi ipsi ejus adjumento opus esse neque quidquam se sine ejus opera impetraturam esse intellexit⁶⁰⁾. Decrevit igitur aula eum aut in suas pertrahere partes, aut saltem de opportuno ipsius loco, quo omnibus favere videbatur, demovere⁶¹⁾. Legatus igitur, quem Ludovicus XIV. primis a. 1662 diebus ad Electorem misit, univ[er]se quidem id agebat, ut consensionem inter Electorem Austriamque nuper factam tolleret⁶²⁾, sed propter successionis quoque Polonicae quaestionem missus, immo a Polonorum regina praecipue postulatus esse traditur⁶³⁾. Qui Ludovici XIV. legatus, Lessanus, reponebat postridie Id. Ian. a. 1662 Electori: „regem suum velle, ut Elector in negotio successionis Polonicae Austriacorum rationes abdicet, Gallorum amplectatur: ac si super eodem cum rege suo foedus ineatur, disertis verbis Austriaco foederi renuntiet⁶⁴⁾, et Electori, modo Gallorum principis eligendi consilium promoveret, „a Gallia militiam et pecuniam suppeditatum iri“. Quam ad propositionem declaravit Elector: „se libenter operam sociaturum, ne Polonia jam satis calamitatibus exercita, morte Regis turbetur. Sed quia notum sit, qua ratione Poloni circa electionem Regum procedant, et quam arte ipse Poloniae innexus sit, ac uti tam multae machinationes circa hoc negotium agitentur, sibi autem non constet, quam viam Rex (sc. Ludovicus XIV.) initurus sit destinatis suis obtinendis et diversa molientibus eludendis, necessum esse super hisce plenius se informari, quo facto distinctius mentem suam declaraturum“⁶⁵⁾.

⁶⁰⁾ Puf. IX. 45.

⁶¹⁾ Puf. IX. 42.

⁶²⁾ Puf. IX. §. 36. 44.

⁶³⁾ Puf. IX. 34.

⁶⁴⁾ Puf. IX. 35.

⁶⁵⁾ Puf. IX. 35.

Necdum haec erat composita res, quum ipsa in Polonia accidit, propter quod Electori factionem Gallicam sequi non liceret, et quamquam Gallorum legatus professus est, „nec Galliae regem id negotium depositurum, sed non minus ante quam post mortem regis (sc. Joan. Casimiri) id persecuturum, velut in quod altius jam descenderit, quam ut salva dignitate id deponere queat“⁶⁶⁾, necessarium tamen putavit quam maxime commotis in Polonia animis, locum quem obtineret in successoris designandi negotio retinere⁶⁷⁾.

Quod quum ipsum fuerit temporis momentum, quo omnis hujus quaestionis natura brevi post mutaretur, experiamur statum, quo Polonia tunc uteretur, ratione hujus quaestionis habita paucis exponere verbis.

C. Corn. Tacitus Historiarum initio sententiam ponit, quae nos edocet, quo animo affectus fuerit summus rerum scriptor, quum historici, qui fideliter res gestas narret, munus fugere non posset. „Opus, inquit, aggredior opimum casibus, atrox proeliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace saevum.... Pollutae caerimoniae, magna adulteria... Nec minus praemia delatorum invisa quam scelera.... Corrupti in dominos servi, in patronos liberti, et quibus deerat inimicus, per amicos oppressi“⁶⁸⁾. Quae veteris scriptoris verba huc transferimus, quippe quibus Polonorum Reipublicae statum intra sexaginta XVII. saeculi annos universe accuratius exponi putemus, quam querellis Kochowskii, qui acerrimo pristinae libertatis conservandae studio incensus successionis quaestionem „Aegyptias illas calamitates esse putavit,“ quae omnibus exercitum malis vexarent tum Rempublicam, quum tertium Annalium Poloniae Climacterem scribere inciperet.

Quod idem est tempus acerbae crudelissimaeque memoriae; exhibet illud nobis magnificentum spectaculum quum terroris et depravationis,

⁶⁶⁾ Ibidem.

⁶⁷⁾ Puf. IX. 36.

⁶⁸⁾ Hist. I. cp. 2.

tum fortitudinis, audaciae, amoris erga patriam plenum; spectaculum, inquam, plenum uberrima cogitandi materia, quam licet accuratius excutere mihi non sit in animo, nonnullas tamen memorabiles res breviter attingere necesse est.

Exordiamur igitur a Reipublicae principe!

Sceptrum commissum est segni, infirmo, inconstanti viro, qui pallio monachi cucullato sine ulla dubitatione abjecto melius non gestabat coronam, quam pristino ac venerabili spoliavit splendore, perdere autem nequivit. Non idoneus, qui ingenium nationi proprium regeret, studia ejus confudit et turbas licentiamque aluit. Ab alienigenis simulque indigenis, qui externorum serviebant principum commodis, occupatus, res, quae eum ornare debebant, despectui habebat ac persequendo homines in commoda populi promovenda intentos, vexandoque dissidentes gratiam Deo victoriarum, quas de Reipublicae hostibus reportaverat, referre se censebat⁶⁹⁾. Universus igitur populus summis oppressus malis in omnibus exacerbatus est partibus: illustrissimae familiae inter sese pugnantes cum humili vilique certabant regia dignitate. Juxta regem conspiciebatur domina, quae rebus suis familiaribus prospiciens aulam ad sua artificia et privata commoda abusa est, ubi corruptio regula fiebat. Quodsi reduxerimus nobis in memoriam graves Reipublicae motus, turbas militum eandem pervagantium et debitum ipsis stipendium postulantium, devastationes ortas ex acerbissimis bellis⁷⁰⁾, bellum in Moschia nondum ad finem perductum, pu-

⁶⁹⁾ Krasinski, Historical sketch of the rise and progr. of the reformation in Poland T. II. p. 404 nota *, „Regratificantes Deo exercituum accepta beneficia anni praeteriti (sc. 1660), quae nobis per tam insignes de hostibus victorias contulit, et volentes hanc divinam beneficentiam hac nostra gratitudine ulterius placare, cum hostes aeternitatis ejus e dominiis nostris proscriserimus“ etc. — cf. Vol. leg. IV. fol. 681.

⁷⁰⁾ Lelewel, Consid. §. 126 nota.

blicos reditus in longe pejorem statum reductos⁷¹⁾, aulae

71) De publicorum redituum in Polonia corruptela. — Sigismundus III. publicis privatisque querimoniis ob cusos improbos nummos ut mederetur administrandam rem nummariam Reipublicae ordinibus an. 1632 concessit. (Vol. Legg. III. p. 710. cf. Th. Czacki, O rzeczy mennicznej w Polsce i Litwie (i. e. de re nummaria in Polonia et Lithuania) apud Mich. Wiszniewski, Pomniki histor. i liter. Krak. T. I. pg. 115). Interregni igitur eodem, quo mortuus est anno designati quidem sunt procuratores qui rem nummariam constituerent, sed propter haud sufficientem rerum intelligentiam et eam ob causam, quod Respublica non possidebat tantum argenti, quantum ad cudendos tot nummos erat necessarium, ut usui satisfaceret, labores contentionesque irritae fuere (Czacki l. c. pg. 117). Item in Pactis Conventis Vladislai IV. decretum est, ut cusio monetalis ejusque fructus non regi, sed Reipublicae utilitati esset (Vol. Leg. III. fol. 663). Sed perbreui vitia novae hujus rationis sunt patefacta, quippe quum ingenti externae monetae copia invecta Polonica prope demota esset. (J. Moraczewski, Starożytności polsk. i. e. Antiquitates Polon. T. II, p. 156. cf. Vol. leg. III. An. 1633. fol. 800 et. 801.) Itaque postquam Joannes Casimirus regnum capessivit, ab ordinibus est statutum, ut Cracoviae, Vilnae, Posnaniae et Brombergae monetariae conderentur officinae, quae a procuratoribus administratae pecuniam cuderent externae conformem et commercia sublevantem. (Vol. Leg. IV. An. 1649 fol. 288). An. 1650 deinde quum Respublica decrevisset, ut argentum decimae quartae tantum obrussae cuderetur, prohibitura, ne ad sufficientem proberum ac Polonicarum monetarum copiam externae falsaeque in regnum importarentur, cujus negotii perpetua cura iis erat commissa, qui praeterquam id viderent, ne externa moneta totum hoc inceptum impediret, atque ut singulis in comitiis aeriarii praefectus qualis tum esset, rei nummariae statum exponeret. (Vol. leg. IV. 289.). Sub idem fere tempus omnis quoque externa ac prisca Poloniae pecunia examini subjecta est (Czacki l. c. pg. 119. 120). Qua in rei nummariae quaestione etiam comitia a. 1652 versata secundum superius decretum procuratores rursus delegerunt, qui rem nummariam componerent ac custodirent. (Vol. leg. IV. p. 380.) Lithuania autem quum proprios haberet procuratores, concessum est, ut singularibus Lithuanorum usibus satisfaceret, et in Polonia et Lithuania diversa cuderetur pecunia. Qui utrique delegati et Polonici et Lithuanici quum civium tantum commodum, non Reipublicae aeriarii quaestum respexissent, querellae exortae sunt, quod nimiam legem nummariam dedissent ideoque aeriarium quaestu

spoliassent. Comitia igitur a. 1654 facta legem nummariam imminuere ac officinas monetarias licentibus elocare decreverunt. (Vol. leg. IV. An. 1654 fol. 453. 454.) Quamquam persuasum nobis habemus, quaestum qui aerario inde proveniret, non magnum damnumque Reipublicae auctum fuisse, utrumque tamen certis numeris definire nequimus; id vero constat, post gravissimos motus, Poloniae intra quinquaginta h. s. annos a Suecis eorumque sociis allatos, Rempubliam alia ratione nisi violenta agere non potuisse, ut aerarii inopiam quocunque modo expleret. Secundum comitiorum a. 1657 decretum jura nobilitatis summosque magistratus pecunia emere licuit. (Koch. Clim. II. p. 207. cf. s. a. 1658. ibid. p. 295. 296.) Rei nummariae procuratores ab iisdem comitiis delecti officinas monetarias Tito Livio Boratyno locarunt, qui decies centena milia florenorum cuderet et quinquies centena milia florenorum ut solum fructum in aerarium publicum inferret. Quod se facturum esse promisit Boratynus ea conditione, nullum ut argentum e regno exportaretur, nullave externa pecunia in regnum importaretur, sibi autem argenteos et minoris moduli nummos, si necesse esset, sine portorio importare liceret. (Czacki l. c. p. 120.) Quod institutum vitiosum fuisse apparet ita ut vel illa probra, in Boratynum ab aequalibus conjecta, eum suo commodo florenorum octies centena milia triginta duo milia sexcenta cudisse ad numos suppletorios, probabili non sint specie destituta. Avaritia militum, negligentia exactorum vectigalium, profusi aulae sumtus perfecerunt, ut aerario publico prope exhausto stipendioque militibus non persoluto, exercitus se confederaret et incolas, quamquam non diriperet, semper tamen vexaret et insuper publicam cladem auget. Quod malum ut tolleretur et nova imperata sunt vectigalia et novi cusi numuli. Anno demum 1662 concessum est Boratyno, quinquages bis centena milia quinquaginta milia florenorum ea conditione cudere, ut singula decies centena milia fructum singula quadringena quinquagena milia florenorum in aerarium referrent. Quam accurate Boratynus condiciones illas observaverit, ea ex re apparet, quod, ut propriae ejus rationes demonstrant (Czacki l. c. p. 121 nota 514) a die VII. Id. Apr. a. 1663 usque ad VII. Id. Sept. a. 1665 ad numulos cuderit florenorum sexages novies centena nonaginta milia et octingentos octoginta duos, praeterea sedecim grossos. Si igitur id consideramus, rerum hoc statu nec pecuniae valorem nec legem aerariam firmam semperque eandem fuisse, Reipublicae divitias e fide locatoris rei nummariae pependisse, si praeterea memoriam in nostram revocarimus eas res, quae cum Andrea Tynfo, monetariorum officinarum locatore Posnaniensi (ab a. 1663) conjunctae sunt, nec illud populi quod regis nomen monetis inscriptum: J (oannes) C (asimirus) R (ex) verbis: „Incipit C (ala-

luxuriam⁷²⁾, magistratum avaritiam⁷³⁾, iudicum desidiam, litterarum ruinam⁷⁴⁾, — quodsi deinde respexerimus regem, qui hostis Reipublicae habitus humili in meritissimos quosque cives ultione explere se studet, ac quomodo in hac elementorum diversissimorum sibi infestorum turba Majestas ejus summae objiciatur

mitas Regni⁷⁵⁾ exposuit, quaesitum nec Kochowskii querimonias justo majores esse inveniemus: „Eo anno (1663) in Polonia argenteam aetatem finitam et aeneam coepisse non inepte dici potest, hoc sane tum malis Poloniae deerat, quod undique coortus hostis non rapuerat, jam sui cives et adventitius ceruscator (sc. Tyrfus) in depauperationem miserandi regni verterunt“. (Koch. Clim. III. p. 228 cf. praeterea instructionem in Conventu particulari Prosovicensi nuntiis Palatinatus Cracov. ad Comitata Vars. in d. 2. Mai. 1661 incidentia datam. Diar. Eur. T. VIII. App. Class. II. Nr. 17. p. 133. 134. cf. instructionem regiam ad Comitata Palatinatus Cracov. d. d. 29. Decbr. 1660 Ib. Nr. V. p. 117. 118. 120.)

⁷²⁾ Kochowski, Clim. II. p. 498. 499. 527. Załuski, Epistolae hist. fam. T. I. p. 152.

⁷³⁾ Koch. Clim. II. p. 506. cf. 443. 444. cf. Discursum Politicum de causis et remediis malorum Poloniae ed. 2da Ann. 1661. pg. 50. „Militi autem ne rapinam meditetur, vel moliatur seditionem, praestetur stipendium, non ex gratia et factione, hos elevando illos opprimendo, alios praetereundo, plures negligendo, verum singulis aequaliter. Quod facile servari potest 1) Si unus prae altero stipendia non surripiat, 2) Si pecunia non penes fucos, sed justos administratores servetur, 3) Si provide et prudenter exactorum arceatur cupiditas et in Monetariorum fidem et perfidiam animadvertatur“.

⁷⁴⁾ De litterarum labe in Polonia. Longius proveherer, si inquirerem, quid plurimum perfecisset, ut litterae in Polonia saeculo decimo septimo labem traherent. Quod pluribus exponere quamquam minime mihi proposui, maxime tamen necessaria ad sententiam quam supra protuli probandam afferre opus mihi esse videtur. — „Aurea aetas“ litterarum Polonicarum, praecipue novis illius temporis studiis, stimulante Sigismundi Augusti regno et consilio experiundi exercendique vim linguae vernaculae in scriptoribus classicis, evocata, una cum fine saeculi XVI. perierat! Exiliores ingenii acris nostraeque nationi proprii fetus ad mediam usque saeculi XVII. partem in Birkovii, Twardovii et Opaliński (mortuus est a. 1655) operibus passim advertimus, sed brevi

ambitioni; — habebimus certe extrema imaginis, quae tunc erat status Polonici lineamenta!

tamen post prae scholastica et rhetorica jesuitarum doctrina jam Sigismundo III. regnante, latius latiusque propagata obmutuerunt. Lingua enim latina non solum elocutiones sed etiam totas enuntiationes captans ita depravata est, nemo ut eam intelligere posset, nisi qui linguam didicisset latinam; plurimi enim et loquebantur et scribebant partim polonice partim latine, et ita quidem ut rei caput semper latino sublimioreque colore splenderet. (Andreae Max. Fredro, Scriptorum fragmenta. Dant. 1660. pg. 210. cf. ibid. pg. 198. 199.) Quo nimio igitur ostentandi studio ingenium privatum est omni vigore ac fervore, et perpauca monumenta, lingua Polonica scripta illo ex tempore ad nostram pervenerunt aetatem. Maxime excolta literarum pars fuit politica historica. Qua in parte, quamquam lingua ille usus latina, omnium celeberrimus existit Andreas Maximilianus Fredro, Castellanus Leopoliensis. (vide Fel. Bentkowski, Histor. liter. pol. Vars. 1814. T. I. pg. 225. et II. pg. 90, 362. 754). Sed quae vel hoc in genere Polonice scripta supersunt e. gr. *Wydzga* — ea deforme nobis praebent styli Polonici exemplum. Auctoritas, quam Gallia in publicas res sibi vindicabat, brevi post in litteris quoque sentiebatur, nec vero eas promovens, id quod exspectaveris, sed pari contagio quo vitam politicam afficiens: fastidiebat unus quisque rationem majoribus probatam et delectabatur Gallica „Alamoda“ quemadmodum sapientes bonique cives vocabant. Tribus fratribus Zbignievio (ab a. 1647 usque ad a. 1678. cf. Wacł. Alex. Maciejowskii, *Pisniennictwo polskie*. Warsz. 1852. T. III. pg. 951.) Andreae („*Cid*“ Cornelii tragoediam non male convertit circa a. 1661. — cf. Fel. Bentkowski *Historia liter. pols.* Warsz. 1814. T. I. pg. 550. 551.) et Stanislao Morsztyn (ibid. cf. Załuski, *Biblioteka poet. pol.* pg. 61.) debetur, quod Poloni litterarum Gallicarum, in linguam Polonicam versarum, scientia sunt imbuti. Praeterea igitur, quod res minime prosperae, quibus Polonia Joanne Casimiro regnante conflictabatur, litterarum incrementis iniquae erant, quam maxime jesuiticae rhetoricae vis et Gallici calami mistri naturalem litterarum nationi propriarum impediabant progressum. Quod utrumque elementum quid efficere potuerit, posterum tempus usque ad Stan. Konarskium optime declarat. Quam longo igitur opus fuit tempore ad opprimenda illa elementa, quae omnia nationi adhuc propria subruerant et ad vincula restituenda inter ingeniosam nationique propriam vitam et varia ac decora eloquentia (hac enim in re insigne, si quod aliud aetatis illius glorio-sae momentum posuerim) insigne illud sextum decimum saeculum? Ac

Porro considerantibus senatores, regis consilarii, primum nobis se praebent. — Senatui Polonico consilium patriciorum consti-

vix quidem sesquisaeculum suffecit, intra quod perversitas, quae eo tempore inveteravit, studiorum tolleretur.

Intueamur denique scholarum ac institutorum illo tempore, quo jam versamur, conditionem. Res scholastica et superior et inferior Joanne Casimiro regnante multum saepeque quum perpetuis bellis et clandestinis Jesuitarum motibus, tum segni administratione temporumque, quae tunc Rempublicam vexabant, calamitatibus (pestibus a. 1652, 1662 exortis) vexata est. Primum quod posuimus non est quod probemus, sed quod ad alterum attinet, majores praecipue scholae a Jesuitis, qui ubique propugnatorum litterarum studiis imbutorum collegia instituere studerent, summum in discrimen vocatae sunt. Excitatum est pertinax illud Jesuitarum certamen cum academia Cracoviensi, quae litterarum quasi privilegium in Republica sibi vindicabat, quum illi artibus an. 1612 a Sigismundo III. potestatem constituendae academiae Posnaniae impetrassent, verumtamen omnes ejus conatus ad irritum reciderunt vehementissime obsistente antiqua nationique carissima „Alma matre“. Quum vero post Suecica bella academiae et Cracoviensis (Muczkowski, Wiadomości o założeniu uniwersytetu etc. w Krakowie. Krak. 1851. p. 150. 151.) et Zamosciensis magnopere afflictæ vix diutius perstare possent, Jesuitae hanc occasionem, ut vetera nec unquam abjecta consilia ad finem perducerent, praetermittere noluerunt et a Joanne Casimiro veniam constituendae Leopoli academiae impetrarunt, quod utrumnam comitia tum modo indicta confirmatura essent necne jam quaerebatur? Sed academia Cracoviensis, quamvis levi auctoritate jam tunc usa, politico tamen oppositionis momento, quod exoriri contra aulam jam erat paratum, facta, nunciorum quorundam terrestrium studia sibi conciliavit, qui Jesuitarum expectationes disjecerunt. Et re vera quatuor Palatinatus Cracoviensis nuncii terrestres potestati a rege Jesuitis datae sanctissime intercesserunt. Jesuitae autem hac re non deterriti, variis callidisque consiliis captis eodem tempore id agebant, ut quae vellent, in comitiis a. 1662 indictis perficerent; verumtamen omnes eorum conatus irriti fuerunt propter perpetuam Palatinatus Cracoviensis repugnantiam. (Accuratius de ea re vide J. Łukasiewicz, *Historja szkół w Polsce*, Pozn. 1849. T. I. p. 130—169.) Quibus omnibus rebus eo gravius afficimur, quo miserabilior Cracoviensis academiae de privilegiis suis sollicitae litibusque impeditae fuit status, quum quod sibi proposuit et perficere se

tuenti, quod ex viris nobilibus beneque de Republica meritis designatisque a rege constabat, summa debebatur auctoritas in Republica, — is confirmabat leges ejusque decreta legem interpretabantur et ad interim legum vim et auctoritatem habebant. Munus hujus magistratus administrando magis, quam legibus ferendis occupabatur aut populi vicibus gerendis, ita ut hac postrema potissimum ratione senatus mediam quandam potestatem haberet inter regem totumque ordinem equestrem. Ut enim rex insciis senatoribus nihil suscipere poterat, ita hi administrandi rationes

velle simulavit, minime tamen exleret. Jurkowski, academiae t. rector, Trzebicio, episcopo Cracoviensi et academiae cancellario, a. 1660 negavit: „ullum in academia esse oratorem, ullum philosophum, ullum juris consultum, ullum theologum ac vix ullos professores, qui mererentur magistri esse minorum scholarum. (Sołtykiewicz, O stanie akademii Krakowskiéj. Krak. 1810. p. 486 cf. Łukaszewicz l. c. p. 195. 196). Professio rerum scriptoris ab a. 1662 usque ad a. 1689 vacabat, quia pecunia hoc munere fungenti destinata in alias res conferebatur. (cf. Bieżanowski († an. 1693) Annales foundationis Petricoviensis ab a. 1666 usque ad a. 1688 (Mss. bibliot. Ossol. Leopoli), adhibitos ab J. Muczowski, Rękopisma Mare. Radymińskiego. Krak. 1840. p. 65. 66.) Graecae literae eo ex tempore paene omnino sunt neglectae (Łukaszewicz l. c. l. p. 240. 374.) propter inexpletam regni socordiam. — Lissae, ubi antea celebre Bohemicorum fratrum gymnasium florebat, ab a. 1656 usque ab a. 1663 nulla erat schola, quae postea impensis privatorum modo hominum resurgere poterat. (Łukaszewicz l. c. p. 382. 383. 384. 389. 394.). Tolerabilior fuit Thorunensis rei scholasticae conditio, (ibid. p. 400. 401. 409—418) ac laetior Borussicae, ut Gedanensis (ibid. p. 430. 431.) et Elbingensis (ibid. p. 432.). Scholae autem Vilnenses aegre se sustentare poterant (Łukaszewicz l. c. p. T. IV pg. 26.), atque eandem fortunam ecclesiastica experta sunt seminaria. Seminarium enim Posnaniense jam a. 1651. tanta pecuniae difficultate laborabat, ut undecim tantum discipulos alere posset et postea ab an. 1665 usque ad an. 1674 propter necessariae pecuniae penuriam claudabatur (Łukaszewicz l. c. T. IV. pg. 306.), idemque propemodum de Culma dici potest (ibid. T. IV. pg. 341.).

reddere jussi erant Reipublicae⁷⁵⁾. Quale corpus si secundum Reipublicae Polonicae institutorum vim et consilium officiis suis diligenter sancteque perfunctum patriae salutem modo spectabat, regis prudentia consilia adjuvabat nec remove eum ab erroribus dubitabat, Respublica prospera fruebatur conditione, qualem praecipue Sigismundo I. et Stephano Bathoreo regnantibus clare videmus. Sin senatores alienis familiaribusque rebus inserviebant, maximam Reipublicae perturbationem afferebant, quia tum minus locuplete nobilitate usi sunt ad infestas partes constituendas, quae — raro quidem acie, saepe in comitiis — acriter inter se decertabant. Quibus turbis quum regnum jam sub primo ex Vasorum domo rege Polonico concuteretur, hoc tamen partium studium sub ultimo Vasa non tam inter nobiles, sed multo magis inter senatores ipsos ad summum pervenerat fastigium. Huc etiam accedit, quod Joannis Casimiri consilarii ratione quadam cum eo consenserunt: pari igitur atque ipse feminarum imperio subjecti⁷⁶⁾, propter mercedem aut suas rationes alienis artibus consiliisque, quibus patriae tranquillitas turbaretur, inserviebant et nobilitati Rempublicam ex interitu, qui huic immineret, servaturos se esse dicebant, dum eodem tempore Reipublicae coronam venumdabant et dignitatem honoremque populi contaminabant!

Quod vero ad ordinem attinet equestrem, difficillimum est ac periculosum de ejus sententiis et consiliis accurate dijudicare. Quamquam enim consuetudinibus moribusque, quibus in singulis provinciis utebatur, inter sese differebat, omnino tamen dicere possumus, eum traditionum pristinae dignitatis veterisque gloriae nondum oblitos fuisse et majorum studio conservandae ac promo-

⁷⁵⁾ Vol. leg. I. A. 1505. fol. 335. cf. Vol. leg. II. A. 1588. fol. 1221. cf. Heidenstein p. 35. Lubomirski, Manifest. I. c. p. 68. cf. Regni Poloniae jus publicum per Nicolaum de Chwalkowo Chwalkowski ed. 2da Regiom. 1684. pg. 92. 98. 125—150.

⁷⁶⁾ Lubomirski Manifest. I. c. pg. 117. cf. pg. 136. cf. Caillet I. c.

vendae pristinae libertatis ductos nullam omisisse occasionem, qua studium illud populare probarent et quamquam graviter concussos, insigne tamen praebuisse robur. Tria jam saecula praeterierant ex quo, Vladislao Łokietek rege, Polonia in summum adducta discrimen filios suos ad defensionem excitarat, et lugubri huic clamori ordo obtemperarat equester, qui regi ter expulso regnum servavit et potentiae, quam Polonia sub Jagellonibus quam maximo cum splendore obtinebat, fundamenta jecit. Illius temporis etiam tunc ordo equester recordabatur ⁷⁷⁾! Illo enim tempore primam suam conspiciebat aetatem, qua novis imbutus sententiis vacillantem patriam bene constituendo servasset. Nec minore periculo, Joanne Casimiro regnante, excitatus eodem studio eodemque in patriam amore ad signa Tyszowiecensis confoederationis concurrat, ut labentis Reipublicae tabulas colligeret, ipsamque vel vastatam conservaret. Multum tamen intererat inter tempus pristinum et praesens: studio enim, quod nunc idem ordo equester manifestavit, jam nihil nisi conditio proposita fuit, referta illa angustiis ac malis quae ipsum spasmo afficerent. Vigebat tamen, saeculi quidem morbis correptus, sed plenus vi atque experientia, vigebat, inquam, indomito ingenio, remanentibus cogitationibus et inveteratis consuetudinibus. Summa proximorum quinquaginta annorum pericula jam praeterierant, rex profugus in solio sedit concusso, ac velut victor adstitit in ruinis ordo equester. Quo igitur animo eum fuisse inflammatum putare possumus, quo modo ad resistendum eum stimulatam fuisse, ubi vetera sua consilia et cogitationes et inveteratas consuetudines impugnari ac Reipublicae, quam immunem ab

⁷⁷⁾ Cracovia a Suecis expugnata (a. 1655) quum Carolus Gustavus ibi templum cathedrale adiret, Simon Starowolski Canonicus tum Cracoviensis eum comitatus est: „Sors an ordo fecit, ut ad monumentum Vladislai Lokietki veniretur. Hic Rex (inquit Starowolscius) ter regno pulsus, ter idem recuperavit: cui Carolus: At Casimirus vester semel exactus, haud amplius recuperare amissum quibit. Tum Senex seu fatidico spiritu, seu extremo jam senio liber: Quis scit? nam et Deus potens set et fortuna variabilis.“ Koch. Clim. II. p. 57.

externis servaverat incursionibus, eandem dignitatem externorum machinationibus violatam vidit? Et ratione igitur et persuasione et metu, ne privilegia ac jura violarentur, motus fortiter et audacter iniit certamen non tam cum rege ipso, quam cum externis potius libidinibus denique cum externis moribus, qui magis magisque serpebant; certamen, inquam, quod diu legali ratione fugere studuerat.

Secundum illa quae supra exposuimus, magnopere falleretur iudicio, si quis universum ordinem equestrem inter se concordem hoc animo fuisse conjiceret; nam vel inter ipsum fuerunt, qui cum aula facerent, permulti. In universum inter Polonorum qui tunc erant ordines distinguere possumus tres factiones: eorum, qui ab aulae et proinde Galliae steterunt partibus: altera qui huic consilio quam maxime adversabantur, adjuti illi et Austriae et Electoris Brandenburgensis studiis et popularis oppositionis favore: tertia denique paucorum mediam viam sequentium⁷⁸⁾

Inter illos qui primo nominati sunt loco exstiterunt plerique summis muneribus functi indeque cum aula arctissime conjuncti, sed in magnum ordinis equestris numerum nulla aut brevi tantum auctoritate usi: ex quibus principe collocandi sint loco hi:

Nicolaus Prazmowski, regni Cancellarius, qui omnia sua reginae debens, et postea regni Primas factus, infames acturus erat partes, semper idem summo Germanismi metu excruciatu, tantisque vinculis cum Gallia conjunctus „ut si corona coelo delaberetur: se nemini libentius eam impositurum, quam Condaeo⁷⁹⁾“ profiteretur: quibus omnibus rebus nihil tamen idem impediabatur, quominus ab Electore pecu-

⁷⁸⁾ Vide imprimis quam jam saepius citavi relationem Caillet, a Condaeo legati, d. d. Gedan. 18. Oct. 1662, polonice versam ap. K. Sieńkiewicz, Skarbiec hist. polsk. Paris 1839. T. I. p. 376 sqq.

⁷⁹⁾ Sam. Pufendorf Fr. W. X. §. 77.

nias acciperet⁸⁰). — Christophorus Pac, Lithuaniae Cancellarius, vir magni et exculsi animi, qui maxime ad rem peragendam idoneus immodica utebatur invidia, qua omnes debilitarentur animi vites. Stephanus Wydzga, Varmiensis Archiepisc., Senator et doctissimus et eloquentia gravissimus, sed ardore necessari odestitutus; cui Caillet omnino negligentiam exprobrat⁸¹). Ad hos praeterea accesserunt Vladislaus Rey⁸²), astutus Reginae Marescallus, Andreas Morsztyn, versatilis regni referendarius, matrimonio cum Eugenia de Mailly-Lascaris conjunctus, itaque Gallorum causae addictus, ut Salvandyum secuti nihil eum per totam vitam egisse dicere nobis liceat, nisi ut in Galliae commodum conspiraret⁸³). Clemens Branicki, aulae marescall., et qui cum hoc affinitate conjunctus erat, Stephanus Czarniecki, vir fortis quidem, sed ingenti invidia et immodico honoris et pecuniae studio laborans⁸⁴): denique Joannes Sobieski tunc vexillif. regni, ut multos alios praetereamus. — Virorum, quos duos ultimo loco posui, auxiliis usae exercitum confoederatum sub potestatem suam redacturae esse videbantur hae partes, ideo quam maxime debilitatae, quod nulla omnium opinione, nullis omnium studiis, sed hominibus tantum sustentabantur. Audacter quidem aliquid aggredi poterant, non poterant certamen diutinum bono eventu gerere.

⁸⁰) Orlich, Gesch. d. preuss. Staats im 17ten Jahrh. T. 3. p. 132. No. 127. Litter. Electoris Cti. Schwerin d. d. Coelln 1662.

⁸¹) Caillet l. c. p. 372. cf. Acta Pacis Oliv. ed. Boehm. T. I. pars 2da. p. 226.

⁸²) Acta P. Oliv. ed. Boehm. T. I. 269. 270. cf. Diar. Europ. T. XIII. App. Class. III. pg. 294. 272. cf. Rudawski p. 412.

⁸³) Salvandy, Hist. de Jean Sobieski ed. Par. 1844. pg. 195. cf. Bohemium, Acta Pacis Oliv. T. I. p. 268. 269.

⁸⁴) Caillet l. c. p. 380. cf. Kochowski Clim. II. illo loco ubi deditionem Cracoviae a. 1655. factam exponit; cf. Lubomirski, Manifest. l. c. p. 94. 26.

Partium, quae his erant oppositae, princeps fuit Georgius Sebast. Lubomirscius, vir artis militaris peritissimus, dives, justus, majore ordinis equestris quam militum gratia valens⁸⁵⁾: qui universam fere Minorem Poloniam regebat. Summo studio ejus partes amplectebatur Andreas Maximilianus Fredro, Castellanus Leopoliensis, rerum scriptor doctissimus, qui abhorrens a peregrinorum auctoritate praeclare distinguebat, quid sibi poscerent populi commoda, quid sibi vellent peregrini. Neque minus cum his faciebant Joannes Leszczyński, hypocancellarius, summo opere Electori studens, et Joannes Wielopolski, Castellanus Woynicensis. Multum valebant hae partes non hujus aut illius hominis auctoritate, sed illis populi et juris principiis, quorum existebant vindices. Omnes hominum nobilium qui minus pollebant divitiis, quum earum sequerentur signa, multo magis exercitui confederato confidere poterant quam aula ejusque asseclae.

Quas inter partes sibi oppositas aliae erant, quae non eodem jure vocarentur mediae [„neutrales“]. Inter ipsas inveniuntur Venceslaus Leszczyński, primas aetate provectus, Stan. Potocki, summus regni dux grandaevus, Paulus Sapieha, summus Lithuaniae imperator, qui clam Gallica consilia agitans, Paciorum tantum invidia motus ab aulae partibus abhorrebat. Boguslaus Radziwiłł, cujus res familiaris propter illam, quam Radziwiłłii bello Suecico secuti erant, rationem, quam maxime erat afflicta, veterem, qua ejus stirps utebatur in Lithuanos, auctoritatem non poterat retinere, ita ut libenter, id quod Caillet nobis prodidit, Gallorum causam amplecteretur, modo eadem pecuniae vis, quam ab Electore accipiebat, ipsi praestaretur. Vincentius Gąsiewski non prorsus cum his faciebat: clandestina agens aulae consilia propalam Lubomirscii sectator erat, cui reginae ut

⁸⁵⁾ Acta Pacis Oliv. T. I. pg. 262. 263. Kochowski Clim. III. pg. 78. 79. Gordon I. pg. 273.

ipse probaret causam, fore sperabat⁸⁶). Cujus agendi rationis paullo post eam dedit poenam, ut privaretur vita.

Haec igitur diversa erant studia, quae ad conventum generalem 10 Kall. Marti. 1662 celebrandum convocati in hac quaestione sequerentur⁸⁷): ubi jam prima actione apparuit, qui plurimum valerent. Nuncii terrestres postquam marescallum ex Lubomirscii factione Joannem Wielopolskium, capitaneum Bieczensem⁸⁸), castellani Wojnicensis filium elegerunt, quum „contestatio benevolentiae erga regem“ proposita esset, — quod quem ad finem fieret, nemo salis quidem intellexit — oppositum quidem est: a Polonis bonos reges sincere amari, „malos usque ad mortem cum patientia et fide haud dubia tolerari solitos esse“⁸⁹): sed deinde consensum illi regiae propositioni est et juramentum denuo praestitum.

Comitiis generalibus id potissimum propositum est, ut cum exercitu confoederato ulla ratione paciscerentur. Aulae partes, foederibus cum Gallia Sueciaque inilis nixae, „nexum sciendum, non solvendum esse“ censebant: cujus rei copiam fieri oppositae negabant partes. Ibi rumor Varsoviae dispangebatur, Gallos Suecosque ad Borussicam oram appulisse, ut exercitu confoederato rursus sub regis potestatem redacto, Angiani ducis electionem perficerent⁹⁰). Quo rimore quamvis in praesenti motus ordo equester tantum abfuit ut consterneretur, ut electorum mandata secutus a rege peteret: eligendi successoris consilium omitteret, unde omnia, quibus in praesentia laborarent, mala exorta essent. Telephus,

⁸⁶) Quod quum jam ex ipsa Cailleti relatione tum ex illis patet, quae Sam. Pufendorf (F. W. IX. c. 7.) prodidit memoriae. Węsławski^o, qui ejus vitam enarravit, non prorsus constitit hac de re.

⁸⁷) Kochowski Clim. III. pg. 12. Caillet l. c.

⁸⁸) Ibid. pg. 11.

⁸⁹) Ibid.

⁹⁰) Kochowski Clim. III. pg. 28. cf. Litt. Świderscii ad omnes Reip. ordines durantibus comitiis, Diar. Europ. T. VIII. pg. 111 — 113.

nuncius Podoliae terrester, primus omnium hanc rem ita proposuit, ut qui incendii periculum evitaturus esset, ignes suppositos cineri doloso relinquendos esse negaret. Omnibus igitur machinationibus severe castigatis ad Regis solium quum processisset, sibi id negotii ab electoribus injunctum esse pronuntiavit, ut rex omisso eligendi successoris consilio, propter quod et Regnum et nobilissimae quaeque stirpes quam maxime inter se discordes essent innumeraeque exortura essent pericula, generalis conventus constitutionem perficeret. Idem consilium probabant Lithuaniae nuncii terrestres⁹¹⁾, quae res magni sane momenti fuit, quum in novissimo conventu generali consilium designandi successorem jam a Lithuanicis comprobatum esset. Clades commemorabant illas, quibus perpetuis Magnus Ducatus a Russicis vexaretur quaeque partium studiis, illud consilium secuturis, non possent averti. Idem multo majore suasit ardore Joannes Woronicz, nuncius terrester Palatinatus Braclaviensis, monens, omnibus ordinibus quam maxime sibi infestis, hostes modo devictos magna cum atrocitate surrecturos esse: idem exaggeravit fortasse miseram Reipublicae conditionem, quae malas propter illas artes proditum iri videretur. Jam omnes fere surrexerunt nuncii terrestres et conferti ante Regis solium stantes rogabant Regem, ut „illud venenum, quo illud consilium omnem Rempublicam afficeret, generalis conventus decreto tolleretur“. Regina, quae his rebus intererat, quum omnium animos quam maxime commotos intellexisset indeque metueret, ne quod semper summis in votis fuerat omittendum sibi esset, a nunciis terrestribus petiit, ne tanta importunitate usi regem cogerent, ut quid injuria fieri pateretur, priusquam quale hoc esset, ipse perspexisset⁹²⁾. Joannes Casimirus iracundus in solio sedebat, et quum petentibus cessurus non esse videretur, deli-

⁹¹⁾ Diar. Europ. T. VIII. pg. 69. 70. cf. Kochowski Clim. III. pg. 13.

⁹²⁾ Vide Kochowski l. c. pg. 11—14.

berandi tempus postulavit, quo facto, propter tempus jam praeteritum conventum procrastinavit.

Libenter sane crediderim, rerum scriptores in illis, quae de reginae machinationibus post illum consessum memoriae prodiderunt, permulta exaggerasse, sed per se quam maxime veri simile est, nihil ab illa neglectum esse, ut nuncii terrestres ad aliam devenirent sententiam. Jam exercitus confederati delegati ab ordinibus congregatis praeter nonnulla ad ipsorum res pertinentia id postulabant, ut successoris eligendi consilium generalium comitorum decreto condemnaretur, Prażmowski et Pac, illius consilii suasores et promotores, punirentur, Stephanus Czarniecki summo privaretur imperio⁹³). Propter quae res jam diutius differri non posse videbatur, quin ad Rokosz perveniret, qui certe alium habuisset eventum atque ille a Zebrzydowsco Sigismundo III. regnante susceptus. Regi igitur in comitorum generalium sine decretum probandum fuit, quo omnibus liberae electionis legibus confirmatis, eligendi, rege vivente, successoris consilium criminis nota afficeretur et quaecunque hac in causa facta erant irrita redderentur⁹⁴).

Omnia igitur, quae aulae partes agitarant consilia, quum improba essent declarata, novique tales conatus patriae prodicionis poena essent affecti, jam quaerebatur, utrum aula ab inceptis desisteret necne. Desistendum quidem ei erat, quia hac ratione ad eventum perventura non esse sibi videbatur, sed regina et Gallicorum politici, qui haud injuria quaecunque facta essent Austriae deberi censebant, votorum tamen quamvis alia ratione, se compotes fore sperabant. Consilium enim ceperunt, ut quum Joannes Casimirus occasione oblata

⁹³) Diar. Europ. T. VIII. pg. 268. 269. cf. in universum Kochowski l. c.

⁹⁴) Vol. leg. IV. An. 1662. Tit. Reassumptio legis de libera electione. fol. 831.

Regno sese abdicasset, Gallicarum partium auxiliis Angianus dux crearetur Rex⁹⁵). Quod antea tentari quum non posset, quam exercitus confoederatus ad obedientiam rediisset, aula⁹⁶) et Galliae regis consilarii omnibus viribus id agebant. Qui illi duci eligendo adversabantur, iidem adversabantur abdicationi. Quominus ille eligeretur, legitima ratione usi, sanguine non profuso, impediverunt; abdicationem bello civili tantum differre poterant, et eatenus impedire, quatenus tum demum evenire potuit, ubi non erat, propter quod Gallia speraret fore ut Condaeus principis aut ducis Angiani, illius filii, electio vi perficeretur⁹⁷).

CONCLUSIO.

Quae insecuta sint aulae cladem. Politica quae sit hujus nostrae quaestionis vis.

Quae deinde evenerunt inter partes Polonorum populares et peregrinis addictas, quamvis summi sint momenti non modo in Polonica, sed etiam in universa rerum historia: hic tamen subsistendum nobis esse propterea credidimus, quia quae deinde insecutae sunt res jam a Grauerto, Prof. Cl., quamvis non ita, ut debebant, circumspecte sunt expositae et alias hujus nostrae qualiscunque commentationis fines multo longius, quam factum

⁹⁵) Caillet l. c. pg. 402. 403.

⁹⁶) Sam. Pufendorf F. W. IX. §. 46.

⁹⁷) Mémoires pour servir à l'histoire de la maison de Condé. Cf. Lord Mahon, Life of the prince of Condé, surnamed the great. Mignet, Docum. inéd. Success. d'Esp. T. II. pg. 310sq.

est, nobis proferendi erunt. Liceat igitur nonnulla tantum generalia, quae de certamine (cujus mutata est forma, non natura), et quae de politica hujus nostrae quaestionis vi censeamus, in medium proferre!

Conatus post conventionem in comitiis generalibus anni 1662 facti, ut exercitum confoederatum sedarent, optato carebant eventu, quia quum militibus non pecuniam, sed verba dedissent, nonnullis inter confoederatos militibus corruptis, multo magis confoederationis suspicionem excitarent neque aulici ab inceptis, quae milites non minus ordine equestri conquerebantur, desistebant. Haud contra ipsum Poloniae exercitum peregrina adhibere auxilia dubitassent, modo ea sibi undeunde comparare potuissent. Foedera, quorum fecimus mentionem, inter Galliam et Sueciam anno 1662. exeunte renovata quidem sunt ⁹⁸⁾, sed nihil inde profecerunt: proponebant etiam Brandenburgiae Electori, quae huc spectarent ⁹⁹⁾; denique Cosacos et Tartaros arcessere constituerunt, quibus confoederatos dirimerent aut tollerent (1663): sed aversatus est hoc consilium, ut „crudele remedium“ Lubomirscius, quia ita novis rapinis Poloniam afflictum iri neque confoederatos obstinatis usuros esse animis credebat, quin foedere desisterent, ubi intellexissent, serio agi, ut iis justa persolverentur ¹⁰⁰⁾. Rem tamen impedire non potuit: Mazepa, posteriore tempore magnam nominis infamiam assecutus, ab Joanne Casimiro ad Cosacorum ducem legatus est ¹⁰¹⁾. Sed priusquam Cosaci illi ordinem restitutori venire constituissent, consilium, idque Lubomirscii, ut videtur, culpa, in vulgus emanavit.

⁹⁸⁾ Schoell, Hist. gén. des traités de paix. T. XIII. pg. 32. Secundum Mignet Docum. inéd. l. c. T. II. pg. 305. factum id est 3. Jan. 1663.

⁹⁹⁾ Sam. Pufendorf, F. W. IX. §. 46.

¹⁰⁰⁾ Kochowski Clim. III. pg. 80—82.

¹⁰¹⁾ Mazepae mandata Leopoli a. 1663 data exstant ap. Mich. Grabowski et Alex. Przeździecki, Zródła do dziejów polsk. Wilno 1843. T. I. pg. 34—43.

Exercitus igitur, jam cedere paratus, multo majore atrocità in aulam hujusque sectatores uti coepit. Itaque expeditio anno 1663 contra Russiam suscepta Lubomirscii legionibus a rege dimissis efficacia et, nonnullae licet reportarentur victoriae, eventu carebat propter regis inconstantiam malasque aulicorum artes. Jam et aula Lubomirscium sibi quam maxime obstare opinabatur, quominus res ita componerentur, ut quum Joannes Casimirus regno sese abdicasset, in ejus locum Dux Angianus sufficeretur. Quin etiam quum inter Ludovicum XIV. et Condacum idem convenisset¹⁰²⁾, Lubomirscium, quem ad suas nequirent pertrahere partes, e medio tollere studuerunt. Itaque in iudicium vocatus, ubi ficta pro factis habebantur, testes pecunia et Jesuitarum artibus corrupiebantur¹⁰³⁾, ipse patriae proditor proclamatus est, ita ut et vita et bonis privandus esset (a. 1664 exeunte)¹⁰⁴⁾. Quae res, si quid aliud, maximam omnium indignationem non excitare non potuit aulae. Lubomirscius autem Vratislaviam profectus regi supplicavit, innocentiam suam libellis in publicum editis asseruit¹⁰⁵⁾; quin etiam Pontifex Maximus, Imperator, Elector Brandenburgicus, multi inter Polonos sacerdotes summo loco collocati, e. g. Trzebicki Cracov. Episcop., universus ordo equester, ejus causae patroni existentes, aulae iram sedare quaerebant. Conventus generalis a rege gravissime petebant, ne Regium nomen injuria, qua nihil majus, in summum adduceret discrimen¹⁰⁶⁾. Quibus omnibus

¹⁰²⁾ Grauert l. c. pg. 355.

¹⁰³⁾ G. Lubomirscii Manifest. in Diar. Europ. T. XIII. App. pg. 162. 163, ubi testimonia epistolis perscripta exstant.

¹⁰⁴⁾ Processus judiciarius in causa G. Lubomirski. Ibid.

¹⁰⁵⁾ Praeter Lubomirscii apologiam not. 103 citatam cf. Kochowski Clim. III. pg. 147 sqq.

¹⁰⁶⁾ Conventu generali a. 1665 soluto, quum nuntii terrestres admitterentur, qui Regis manus deoscularentur, Joannes Casimirus, ex uno, quem cum Lubomirscio facere constabat, quaerens: „Et quo animo,

nihil profecerunt, quia aulici, Lubomirscio sublato, cum Prażmowski: „Jam quid timeamus, aiebant, nihil superest, ne Sathanam quidem, uti eligamus Regnaturum, qui placuerit nobis“¹⁰⁷⁾, et Joannes Casimirus jam reginae regno sese abdicaturum esse promisit, ubi ipsa jussisset¹⁰⁸⁾.

At enim vero populare illud neque cuiquam addictum elementum eum relinuerat vigorem, ut vel contra Satanae artes surgeret. Poloniae Majoris palatinatus confederati Lubomirscium quum in patriam revocassent, rediit — propter quod non est quod eum reprehendamus, sed quia redux factus aut non voluit aut non potuit — hoc sane difficillimum fuisse haud negabimus — ea auctoritate in ordinem equestrem uti, ut civilibus bellis, quibus dilaniaretur patria, occurreret. Irati populi arma ei convertenda non erant in regem: quod ubi se ad vitam et sua commoda servanda facturum esse speravit, erat crimen neque minus vitium, ubi illa populares partes contra minas et impetus partium peregrinis addictarum sibi tuendas esse putavit. At ibi aulicorum auctoritatem non satis recte perspexit. Partes illae quam maxime sustinebantur a Gallia, quae nisi Suecis usa Joannem Casimirum fortiter adjuvare non potuit, quin inter ipsam Galliam et Austriam atrox exardesceret bellum. Sueci usque ad illud temporis momentum fidelissimi quidem Galliae fuerunt socii, sed Polonorum rebus abhinc evenientibus illa amicitia inter Galliam et Sueciam intercedens quam maxime periclitabatur. Ludovicus XIV. quum deinde cum Brandenburgiae

inquit, Xiesei — sic nominabatur nuncius terrester — an non Judae proditoris? cui ex abrupto Xiesciust: Nequaquam Judae, sed Joannis Baptistae Ser. Rex. Id quomodo sciscitante Majestate subjungit ex Evangelio illat: Non licet tibi, Rex Serenissime, violare Leges“.

Kochowski Clim. III. pg. 172.

¹⁰⁷⁾ Kochowski Clim. III. pg. 157.

¹⁰⁸⁾ Grauert l. c. pg. 356.

Electore sese conjunxisset, Sueci medio anno 1664 in Britannorum partes compulsi sunt¹⁰⁹⁾. Quidquid deinde Terlon, Galliae legatus, tentabat, ut Sueciam ab illo averteret foedere, nihil profecit propter summam illarum inter Suecos partium atrocitatem qua Galliae resistentes homines excellabant, et quorum princeps Bioernklow fuit. Anno 1665 Ludovicus XIV. Pomponium, Marchionem, extraordinarium legatum Stockholmiam misit, qui Suecorum arma ad Polonorum regem tuendum contra confederatos et Lubomirscium excitaret; quin etiam ab ipsa Republica divisionis periculum averteret. Condao avertendi illius periculi officium injunctum erat¹¹⁰⁾!

Atamen nunc Sueci ipsi quam maxime metuebant, ne Gallia Polonorum regno potiretur, ita ut Ludovicus XIV. Joannem Casimirum adjuvari a se simulans non ita, quemadmodum vellet, suis posset prospicere commodis¹¹¹⁾. Immo Sueci Angiano duci eligendo quam maxime reluctati — quippe quod nullo pacto fieri posset; — declarabant, si Joannes Casimirus regno sese abdicasset, Neoburgicum principem eligendum esse¹¹²⁾: cujus principis partes, quia in causa Julia-Cliviensi quam maxime fuerat obsequiosus, suscepit acerrime ipse Brandenburgiae Elector¹¹³⁾.

Quarum omnium rerum ignara Polonica aula Galliae auxilio se usuram esse sperabat, quod propter res, quas modo memo-

¹⁰⁹⁾ Mignet, Docum. inéd. Success. d'Esp. T. II. p. 305. 306.

¹¹⁰⁾ Quinto loco Pomponius a Suecia postulare jussus est: „Le prêt d'un corps des trois mille cavaliers suédois, qui, réunis à quatre mille fantassins français, iraient, sous le prince de Condé, protéger, sur sa demande le roi de Pologne contre le maréchal Lubomirski et les confédérés et empêcher aussi que l'empereur, le Moscovite, et l'électeur de Brandebourg ne partageassent entre eux les états de la couronne de Pologne, après la mort du roi Casimir“. Mignet, Doc. inéd. l. c. T. II. p. 306.

¹¹¹⁾ Ibid. pg. 307.

¹¹²⁾ Ibid. pg. 308.

¹¹³⁾ Grauert l. c. p. 357 sqq.

ravimus, ferri non potuit: non dubitavit aula ordinem vi reprimere, sed identidem ap. Czenstochoviam et Montwy devictus rex id pacisci Legionicae coactus est (a. 1666), quod ordo equester postulavit ¹¹⁴).

Paulo post Lubomirscio et paucos post dies regina mortuis, Joanni Casimiro id consilium datum est a Ludovico XIV., ut coronam relinens Neoburgicam principissam in matrimonium duceret ¹¹⁵). Ita magis Sueciam et Brandenburgiam sibi placatum iri ratus et bellum Flandricum ingressurus Ludovicus XIV. non agebat de eligendo duce Angiano, quia aliter ipsi longe major hostium numerus oborturus erat ¹¹⁶). Propter quas omnes res habebat profecto Joannes Casimirus, quod agendi rationem Ludovico exprobraret ¹¹⁷). Aeger igitur animo coronam sese abdicavit (16. Kal. Octbr. 1668), quam duci Angiano deferri ipse voluerit necne nescimus.

Quod nostrae commentationis initio probare jam studuimus, haud aberrare a vero nobis videmur, quum historicum harum omnium rerum momentum id esse ponamus, ut atrocissimum continuaretur certamen inter partes cum peregrinis facientes et partes Polonorum populares, quod in praesentia illarum partium incommodo ad finem perduceretur. Fuerunt historici, qui ideas, quibus Gallia movebatur, monarchicas, easdem in Dania quam maxime vulgatas respicientes Polonicam aulam, quae vivente rege successorem eligi vellet, id spectasse crederent, ut

¹¹⁴) Vide transactionem hanc in IV^o tomo Volumm. legg. In universum cf. Kochowski Clim. III. lib. IV. et V.

¹¹⁵) Mignet l. c. pg. 311. cf. ibid. pg. 279. 280.

¹¹⁶) Ibid. pg. 310.

¹¹⁷) Querellas illas litteris vide expositas ab Joanne Casimiro ad Ludovicum XIV. datis, quas Ed. Raczyński a. 1844 in Portofolio Mariae Ludovicae Polonice quidem versas sed non integras exhibet. T. II. pg. 343--354.

regiam inter Polonos firmarent auctoritatem. Eandem sequitur Salvandyus sententiam, multo accuratius definire se posse ille ratus, quid Polonica aula quam quid Stuartiani secuti sint. Neque quidem negari potest, illum finem, quem regiae potestatis firmandae habebant, neglectum non fuisse. Cognoscebatur id satis clare illo Tyszowiecensis confoederationis tempore, ubi in magno versabatur Polonia periculo, ne a Suecis subjiceretur ¹¹⁸). Eundem propositum quum haberent finem et retinerent multi viri circumspecti iudicii vel ultra periculosa tempora factum est, ut initio aulae consilia sequi non dubitarent. Sed nimis cito iidem intellexerunt, aulam ejusque partes ab illis civitatis reformandae consiliis quam maxime aberrare; multo enim antea quam de illis quidquam emanavit in vulgus studiis, intellectum est, monarchicas illas ideas ita degenerasse ut solum ad theorias monarchicas in unius familiae sive, quod hic idem erat, in peregrini principis favorem transferrentur. Quae theoriae igitur quum a popularibus haud diutius retinerentur partibus, facere non poterant, quin, quum essent dubiae et ancipites, populi studia violarent, et, quum abjectissimae ad eas perficiendas adhiberentur artes, ipsos populi animos summo afficerent taedio.

Itaque quod Salvandyus, quae semel posuit mordicus relinens, oppositionis partes sustineri a regis percussoribus contendit, et Mariam Ludovicam summam quasi Polonicae *αὐτονομίας* patronam summis effert laudibus, declarari hoc quidem poterit partium quo omnes fere tenentur Galli studio, non poterit

¹¹⁸) Vide epistolam a Regni Primate ad regem a 1656 Decembri mense missam ap. Ambr. Grabowski Ojezysté spominki T. II. pg. 87—95 et Reginae secretarii litteras in Porfolio ed. Raczyński I. p. 239. 240. 299. II. 119. Caillet l. c. pg. 362. 363. Pufendorf, F. W. X. §. 65.

nullo modo probari¹¹⁹⁾. Ceterum illi turbas et Anglicas et Polonicas inter se comparanti vel hoc nomine obloquendum nobis erit, quod non erat Polonicae oppositioni religionis momentum, quod omnem percelleret Britanniam: Polonorum oppositio profecta ab ordine equestri populari non tam directa fuit contra ipsam Poloniae regiam potestatem quam contra monarchica quaedam peregrinorum studia, a Polonorum commodis longe abhorrentia. Quod qui omnino libertatem studebant pristinam conservare ad hanc accedebant oppositionem, factum est non tam hac, qua omnes movebantur, quaestione quam illa, qua veteres et novae, magnae et parvae inter se flagrabant in Polonia stirpes, invidia. Quid? ne celabat quidem oppositio, se id agere, ut eligerent virum, qui novae dynastiae auctor posset existere¹²⁰⁾.

Ne plura: his quaestionibus omnia populi elementa quam maxime agitari intelligimus: quam maxime inter se pugnant popularia, politica, societatis studia: acerrime inter se contendunt

¹¹⁹⁾ Erunt fortasse, qui meam qualemcumque operam in eo reprehendant, quod Salvandyi opus quam maxime lectum non constanter adhibuisse videar. Itaque illud in nos cadere crimen hoc loco nego: semper illud citare propterea nolui, quia alias perpetuo cum eo disputandum mihi fuerat. Inter omnes enim historicos, quos de Polonorum rebus legi, libros alterum non inveni, qui eadem styli elegantia conscriptus tam saepe erraret, tam saepe fidem violaret — excipio singularia tantum facta — quam copiosus ille Polonicae historiae conspectus, quem Salvandyus Sobieskianae vitae praemisit. Neque minus tamen ille liber oraculi instar omnibus est inter Gallos viris doctis qui de antea Polonorum memoria faciant verba.

¹²⁰⁾ Christinae Hackius, quem ad Polonos delegarat, ut ipsius electionem ageret, a. 1668 scribit: „Entre autres choses il (sc. Nuntius Papae) m'a dit aussi, que cette raison, que V. A. ne veut pas se marier, fera le plus contre elles, parce que les Polonois souhaitent à cette heure d'établir la Maison régnante pour avoir toujours des Sujets capables de parvenir à la Couronne, afin de n'en plus chercher ailleurs à l'avenir“. Mémoires concern. Christine par Archenholtz. Amst. et Ldeiz. 1751 sqq. T. III. pg. 353.

politicae ideae, libris et orationibus proclamatae inde a Fredronis commentationibus ¹²¹⁾ usque ad Olszowskii Censuram Candidatorum sceptri Polonici ¹²²⁾: quorum ingeniorum fermentatione perfecta tandem est Michaelis Wiśniowieckii electio, quam nonnulli miraculi loco habent. Quin politicae Polonorum ideae in medium prolatae eam exserebant popularem vim, ut per duo interregna licet animis quam maxime inter se diversis, eandem retinerent integram. Certaminibus illis populares partes probabant summo jure, suo se jure uti contra

¹²¹⁾ Discursus de electione regis Poloniae ex Polonico versus, conscriptus ab Ill. Andr. Max. Fredro. Anno 1660 (Diarium Europaeum T. VIII. App. Class. II. Nr. XVII. pg. 196—205.) Praeterea ejusdem: Scriptor. seu Togae et Belli notationum fragmenta. Dant. 1660. — Responsum cujusdam Anonymi adscriptum Fredronis de elect. successoris. An. 1660 (Diar. Europ. T. VIII. App. Class. II. Nr. XIX. pg. 205—270). — Disquisitio de electione successoris in Polonia vivente rege. 1662. (Bibliotheca archivi Gedanensis. Vol. 55. 239. 155.) — Anatomia, judicium de corpore regni Polonici ab excellentissimis Politico-mediceis porrecta ann. 1665. (Ibid. Vol. 54. 568. 385.)


¹²²⁾ Praeter hoc Olszowskii scriptum multa etiam alia exstiterunt. Bibliotheca archivi Gedanensis possidet inter multa huc pertinentia documenta haec:

- 1) Speculum in electione regis Poloniae expositum pro casu abdicationis (Vol. 55. 295. 198b.);
- 2) Próba y ratie, którymi Xiążę Lotarinski Karól nad innych concurrentów potior do korony miałby być obrany (Vol. 55. 296. 199b.);
- 3) Dissertatio contra Piastum (Vol. 55. 297. 200b.);
- 4) Discursus de Candidatis sceptri Polonici (Vol. 55. 298. 202.);
- 5) Rationes contra Moschi electionem (Vol. 55. 301. 203b.);
- 6) Rationes contra Principem Lothringiae (Vol. 55. 310. 203b.);
- 7) Considerationes pro successione ducis Neoburgici in regno Poloniae (Vol. 55. 251. 171b.) —

Praeterea in instructissima Palatinidis Titi Działyńskii bibliotheca Kornicensi permulti exstant libelli, poemata, effigies, dialogi satyrici, partim Joannem Casimirum, partim Condaeum spectantes. Adde huc omnia illa, quae ad Georgium Lubomirskium pertinent scripta, ut Tubum Opticum (Diarium Europaeum T. XIII. Append.), Kamień niewinności Sebastjana Jerzego Lubomirskiego (Bibl. Kornic.) etc. etc.

peregrinorum principum auctoritatem: itaque gravius quid iis propositum esse crediderim, quam ut regem diutius quam vellet in regno retinerent; quum vel Joannes III. Sobieskius non antea Vindobonae a Turcis pressae auxilio veniret, quam illud ipsi traditum a Leopoldo I. fuisset pactum, quo Joannes Casimirus Carolo archiduci promiserat Polonicum regnum¹²³)! —

¹²³) Pat. Bernard Brulig's Bericht ueber die Belagerung der Stadt Wien im Jahre 1683. Mitgetheilt von Beda Dudik. In „Archiv für Kunde oesterreichischer Geschichtsquellen“. Herausgegeben von der z. Pflege vaterl. Geschichte aufgestellten Commission der kaiserl. k. Akademie der Wissenschaften. Wien 1850. T. IV. pg. 277. artic. 3ius foederis inter Poloniam et Imperatorem icti.




architecturae promissarum Polonicarum regum. —
 Leopoldo-I. illustratum, pro-Johannes Casimirus, Carolo
 rex a Turcis pressa auxilio venit, dum illud ipse tradidit. a
 reliqua parte et a re. Illud ad huc in hoc vento.

Pat. Bernard Brattig's Bericht über die Belagerung der
 Stadt Wien im Jahre 1683. Mithelheit von Bela Dudi. In „Archiv
 für Kunde österreichischer Geschichtsquellen“. Herausgegeben von der
 k. k. Reichsanstalt für Geschichte und Statist. Wien 1860. T. IV. pg. 217. etc. Das folgende
 unter Poloniam et Imperatorum.

...
 ...
 ...

APPENDIX.



EXCURSUS

ad pg. 25. notam 73.

De nunciorum Poloniae terrestrium „Libero Veto“.

Guil. Henr. Grauertus V. Cel. in laudata jam a nobis commentatione¹⁾: „Auf dem Reichstage 1652, inquit, war es zum ersten Male, dass einer der Landboten mit einer einzigen Gegenstimme die ganze Berathung sprengte, und dies schlimme Beispiel gab nur zu bald dem unseligen liberum veto und den zerstoerenden Confoederationen ihre Entstehung“. (p. 350.).

Quae a viro Cl. hoc loco prolata sententia quamvis jam ita sit pervulgata, ut apud unumquemque rerum scriptorem, qui hanc Polonicae historiae periodum cura indignam non habuerit, inveniatur, nihil tamen nos facturi esse nobis videmur, propter quod vituperemur, si quae Grauertus de „Libero Veto“ primum interposito protulit certa ratione destituta esse propterea demonstramus, quod idem V. D. et aliud Polonicae Reipublicae institutum arctius cum nostra commentatione conjunctum attigit, quam quod silentio praetereamus. Adde quod rationes in medium afferendae nobis sunt, cur de „Confoederationis“ ortu et natura in diversam a Grauerto discesserimus sententiam. Quae abhinc igitur proferentur, iis praecipue „Liberi Veto“ et naturam et ortum ita illustrare pro virili parte studebo ut simul publica „Confoederationis“ natura adumbretur.

¹⁾ Vide supra pg. 33 not. 107.

Jam primum quod vulgo putant, illud „Liberum Veto“, quo usus unus nuncius terrester omnia comitorum consilia irrita reddere posset, anno demum 1652 in Polonorum historia inveniri, et Sicińskium, Lithuanicum Upitae nuncium terrestrem, ejusdem aut auctorem exstitisse aut eo primum usum esse, id falsum omnino est.

Quam ut rationibus firmemus sententiam, duplicem rationem nobis ineundam esse intelligimus; ut et inquiramus in Poloniae quos dicunt delegatorum naturam veram universamque, et videamus si qua differentia inter illam viam ac rationem propter quam inter annos 1536 usque 1652 undeviginti publica comitia vel sine eventu dimissa vel rupta sunt, illamque, qua Sicińskio auctore a. 1652 consilia irrita reddita sunt, pateat historico quaerenti. Priore enim quaestione in clariore luce posita multum proficiemus ad dijudicandam alteram, id quod vel nullo alio modo fieri poterit.

Discordiam, qua Polonorum comitia non minus laborasse videmus quam aliorum populorum concilia, et quam multi iique optimi et doctissimi viri maximopere conqueruntur inde potissimum in Polonorum rebus conspici censemus, quod Polonorum Respublica eum spectabat finem, sed ad quem nunquam perveniri possit, ut populi et voluntas et agendi ratio prorsus ita concordessent, ut vel minore dissentientium numero omnis hominum ad Reipublicae gubernacula sedentium sollertia impediretur, ne illorum commoda quid detrimenti caperent. Polonorum regnum, quale temporum decursu formatum est, videtur nobis fuisse, ut ita vocemus, societas socialis-juridica provinciarum et familiarum²⁾, societas, prope dixerim, individualitatum suo iure ita utentium,

²⁾ Andr. Fricii Modreuii, Secretarii Regii, Commentariorum de Republica emendanda libri quinque. ed. Basil. 1554 lib. I. cp. 10. Laurentii Grimalii Goslicii de optimo senatore libri duo. Ven. 1568. pg. 14sqq.

ut summa universi populi auctoritas raro modo exerceri posset. Cujus rei per quam sane memorabilis causam in eo positam esse crediderim, quod Poloniae regno locus ille summus quem in rerum historia obtinet, partus non erat incursionibus in alias terras factis, sed populi genio et sociali natura³⁾. Eadem enim illa Polonia, quae Vladislao Lokietek mortuo (1333), qui post diuturna bella civilia concordiam restituerat, vix 6000 milliarr. quadratt. (Gallicc.) complectebatur, Lublinensis unionis tempore (1569), Sigismundo II. Augusto, qui rempublicam constituerat, regnante, aucta fere erat decuplo. Conjunctae erant cum ea hoc temporis spatio Russiae minoris provinciae cum ducatu Halicensi (1340), ducatus Severiensis (1443), deinde regiones Oświecimensis et Zatorensis (1564), quae Poloniae minori accesserunt. Aucta est porro Polonia recuperatis Borussia (1466), Masovia (1529), Lithuania firme adjuncta (1569), quibus paulo post Livonia accessit (1560)⁴⁾, quum contra Russiae invasiones, quacum jam diu Imperator Austriae contra Poloniam

³⁾ Le relazioni universali di Giovanni Botero Benese, divise in sette part. etc. ed. Veneta 1662. Parte seconda lib. I. p. 23. „Hanno poi il Rè di Polonia per stabilir l'imperio loro, fatto una cosa molto notabile, perche, si come i Romani ampliarono le forze e la grandezza loro col communicar la region del Latio, e la città dinanza di Roma alle città, anzi alle prouincie intiere; così eglino hanno grandemente distesso, e unito, e fermato lo stato loro, col far partecipe de' privilegij proprij della nobilità Polacca, le prouincie, ò per forza d'arme, ò per altar via acquistate, e con uguagliare la nobilità loro alla Polacca, così il Rè Ladislao aggregò alla Polonia anzi uni la Russia e la Podolia; Sigismond. I. la Prussia; Sigism. Augusto la Lituania; Stefano la Livonia, e l'esser pari di commodità, e di honore rende gli animi uniti ne' bisogni e ne' pericoli“. — Rem pluribus expositam vide illa oratione, quam a Tarnowio in comitiis ap. 1548 convocatis habitam invenies ap. Stanislaum Orichovium, Annales. ed. Dant. 1643. pg. 30. 31. 32.

⁴⁾ Math. Dogiel, Codex diplomaticus regni Poloniae. T. VI. p. 238 —243. No. CXXXVIII.

conspirabat⁵⁾ nihil auxilii impetrasset a Germano imperio. Polonismus (!) autem, jam totum per medium aevum acerrime et praecipue cum Germanismo (!) ille colluctatus, tunc Orientem versus omnia Borysthenem usque sibi subjecerat, idem, Moscovitica fracta auctoritate, Novogrodiam Severiae, Smolenscium, Polockium, omnia victor permeabat, ubi tandem incertus, quo se vertat, consistit. Occidentem versus autem, fracta cum Hohenstaufiorum ultimo Germanorum Imperatorum potentia, non erat quidem, quod Germanismum, Imperii auxilio antea latius propagatum, oppugnaret, sed imprudentissime Germanismo, sub Germanicorum principum auspiciis, alterius gliscenti cedebat multis locis (e. g. Silesia, Pomerania, Borussia), qui longe maximi erant momenti ad Polonicae Reipublicae salutem tuendam. — Nihilominus tamen Polonia, saeculo XVI^o a mari Suevico usque ad Pontum Euxinum extenta, partes complectebatur, quae Polonorum regno quidem subjectae, sed subjectae non erant vi, immo concordia inter se utentes omnibus fruebantur reipublicae juribus⁶⁾; quia Polonorum natura quam maxime abhorrebat a feudalismo⁷⁾.

Quod Lelewelus alia de causa⁸⁾ rectissime monuit idem hoc repetierim loco: cum in universali rerum historia grave est, hominum praecipuorum mores et ingenia cognoscere, tum majoris est momenti in regni historia, quale fuit Polonia Lublinensi unione constituta, ubi provinciae et propter libertatem et jura iis relicta majore

⁵⁾ Vide litteras Sigismundi I. an. 1514 in Actis Tomicianis (ed. T. Dziatyński) Posn. 1853. T. III, p. 154. 155.

⁶⁾ Discorso dell' interregno di Polonia dell' anno 1587 di Horatio Spanorchii apud Philipp. Honorium (Praxis prudentiae polit. etc. p. 523 cf. ibid. p. 515.)

⁷⁾ Sequor hic Leleweli Viri summi sententiam quamvis me non fugiat, hac in controversia alios contrarium sequi, quam expositam vide in Litteris de administr. in Polon. etc. in: Przegląd pozn. an. 1846. litt. I.

⁸⁾ J. Lelewel, Considér. quartae periodi initio, ubi de Polonici populi moribus agit.

agendi uterentur licentia, et cognoscere et respicere, qualis fuerit singularum provinciarum character, qualis ratio publica inter ipsas et regem intercedens. Neque igitur erraturos nos esse credimus, si utrumque illud momentum longe maximam exercuisse vim statuerimus cum in Polonicae reipublicae administrandae formam universam tum in delegatorum quod dicunt systema: quamvis vel hoc non minus affectum esse negemus singulari illa conditione, qua usus est ordo equester, qui summam spectabat omnium legum „paritatem“.

Sed justo amplius a proposito nostro aberraremus si vellemus persequi quid interfuisset inter singulos provinciarum characteres, quid inter illum, quem quaeque obtinebat locum in Polonici regni corpore. Exstitisse illa discrimina nemo quidem erit qui neget⁹⁾ sed minus urgebitur aut intelligetur, quae fuerit publica eorum ratio, quod momentum in promovendo jure Polonorum publico.

Polonici regni historica *παλιγγενεσία*, effecta illa rursus conjunctis, quae antea saec. XIII. disjunctae erant, terris, non sustulit discrimen inter Polonias, Majorem et Minorem, et Masoviam intercedens, quamvis statuto Wislicensi (1347) aequum quoddam jus Poloniae et Majori et Minori paratum ceteraeque partes in eadem conditione positae essent¹⁰⁾.

Masovia, medio in regno posita, diu suis utebatur principibus et usque a. 1529 a ceteris Lechiticis terris erat disjuncta, quo Masoviis in Polonici regni societatem receptis vel in po-

⁹⁾ Joach. Lelewel, considérat. IVae. period. initio (§§. 104—113) satis quidem copiosus est de hoc provincialium characterum discrimine sed juris publici, quae hic aguntur, quaestiones paullulum neglexit.

¹⁰⁾ Statuto Wislicensi statuta Poloniae et Majoris et Minoris contineri demonstratum vide ap. Joach. Lelewel, Polska wieków średn. (i. e. Polonia medii aevi) Posnan. 1851. T. 3. pg. 101—105. cf. ibid. pg. 215—347.

sterum suis juribus privilegiisque uti concessum est¹¹⁾. Gaudebant igitur usque ad Stephani Bathorii tempora suo jure civili, quod vulgo audit Statuta aut Excepta Masoviensia¹²⁾; sed longe gravior inde facta est eadem illa provincia, quod principibus summis semper in angustiis versantibus, ingens minorum nobilium numerus eo confluebat¹³⁾ qui plurimum ad firmandam nobilitatis δημοκρατιαν valeret, quum Masovienses sextam Senatus partem et quintam nunciorum terrestrium efficerent¹⁴⁾. Eiusdemque rei momentum multo magis auctum est, quum Varsovia, Masoviae caput, Republicae principalis urbs eligeretur, in quam omnes regni delegati confluerent, quandoquidem hac ratione omnibus liceret Masoviensibus interesse publicis consiliis, regum eligendorum occasione uti, id quod nobilibus majore terrae spatio distentis aut erat denegatum aut minus commodum¹⁵⁾.

Quae instituta nobilia democratica magis respondebant Polonici regni naturae, quam illud Germanorum urbicum, quod, Bo-

¹¹⁾ Stanislaw Sarnicki, Statuta y metrika przywilejów koronnych. Cracov. 1594 pg. 1143—1180.

¹²⁾ Bandtkie, Jus polonicum pg. 466. cf. Vol. leg. II. An. 1576. fol. 927. 928. et 931—950. cf. Th. Czacki, Oprawach mazowieckich i. e. de Masoviae juribus. (apud. Mich. Wiszniewski, Pomniki histor. i liter. pol. Krak. T. IV. p. 1—34.)

¹³⁾ Simonis Starovolscii Polonia sive status Regni Poloniae descriptio etc. ed. Herm. Conringii. Wolfenbytt. 1656. pg. 64. „Habet Masovia tota quinque et quadraginta millia equestrium familiarum, quarum si quaelibet unum saltem virum, equo armisque decenter munitum praeberet, quantus in patriae defensionem exercitus illico fuisset? Et sunt plurimi, ut cujusque census est qui possunt integras etiam turmas armare: praeter pedites quos duplo majori numero urbana rusticaque plebs praebere posset. Sola siquidem Prasnensis regio septem millia equestrium familiarum perhibetur contineri, e quibus nulla tam egens est, quia equitem unum in publico tumultu armet“.

¹⁴⁾ J. Lelewel, Considérat. §. 112.

¹⁵⁾ Bielski, Kronika. ed. Varsov. 1764 p. 641. cf. Mar. Gratiani Vitam J. Fr. Commendonii ed. Paris. 1669 p. 353. 372. 373. 379.

russia cum republica Polonica a. 1466 conjuncta, in Polonorum regnum immissum justo saepius sua tuebatur commoda¹⁶⁾. Conjuncta vero erat cum hoc contentio, coorta illa ex diversa, quam profitebantur, fide: et utrumque hoc momentum auctum est singulari illa ratione, qua Borussia ad Poloniam accesserat. Borussia enim, diversa a Polonis ratione administrata, sua fruebatur jurisdictione (quae vocabatur „Correctura pruska“ aut „Jus terrestre nobilitatis Prussiae“) per quam licet cum Polonia conjunctae licebat Borussiae singulari quadam uti conditione¹⁷⁾. Borussiae licebat ad comitia publica quot vellet nuncios terrestres dimittere¹⁸⁾. Fruebatur nummorum cudendorum privilegio¹⁹⁾, quo saepe contra Polonos reges eaque cum superbia utebatur, ut interdum Polonicos a suis finibus arceret nummos²⁰⁾. Ne multa, terra erat sui fere juris, ubi Polonica nobilitas ordinis juribus non frueretur, nisi quod provinciae indigenatum sibi parare posset, quum contra Borussiae nobilitatis juribus in universa Polonia nihil esset detractum²¹⁾. Politica igitur hujus terrae vita certi provincialis egoismi, ut ita dicam, nota quadam erat insignis.

Ne Litthuania quidem ita cum Polonia conjuncta erat, (factum id est 1569) ut regni rationes postulabant. Propter plurima enim illa, quae excepta et reservata erant, tantum abfuit ut

¹⁶⁾ Lelewel, *Consider.* §§. 74—76. Bathorio vel bellum suscipiendum erat, quo Borussos cogeret, ipsum ut regem agnoscerent; cunctati Sigismundum III, agnoverunt (Piasecki.)

¹⁷⁾ Mart. Cromeri *Poloniae* lib. 2. ed. Colon. 1589. p. 524sqq. Vol. leg. II, 1598. fol. 1269 et 1271.

¹⁸⁾ Gottfr. Lengnich, *Jus publ. Prussiae Polon.* Ged. 1758 p. 124. §. 71.

¹⁹⁾ Gottfr. Lengnich, *Geschichte der preussischen Lande Koenigl. Poln. Antheils* T. I. p. 205. 209. 210. Docum. 117.

²⁰⁾ Idem T. VIII. pag. 8. cf. *Ejusdem Jus publ. Pruss. Pol.* §. 111sqq.

²¹⁾ Lengnich *Jus publ. Pruss.* §§. 103. 109. 110, cf. *Lubieński Opera posthuma* p. 48.

unam efficerent rempublicam, ut essent duae juxta se positae neque ullo nisi regis vinculo conjunctae civitates²²⁾. Lithuani retinebant priores leges et russica lingua utebantur apud judices²³⁾, suo nummorum cudendorum privilegio²⁴⁾; quod comitia apud se alternatim haberi voluerant, id postulare antea non desierunt, quam voli essent compotes facti (a. 1669)²⁵⁾. Comitiorum publicorum marescalli alternatim ex Polonia majore, Polonia minore, Lithuania creandi erant²⁶⁾; particularis conventus marescalli apud Lithuanos in omne vitae spatium creabantur, contra apud Polonos denuo semper creandi erant²⁷⁾. Quae utramque regni Polonici partem praestantiorem spectabant, tanlopere inter se differebant, ut instituta, e. g. principum et ducum tituli, quae, (quum omnibus Polonorum nobilibus viris esset persuasum omnes eodem uti publico jure debere) perduellionis crimen a Polonis ducebantur, Lithuanis sancirentur neque parum ad turbendam conferrent Polonicae nobilitatis *δημοκρατίαν*²⁸⁾. Quemadmodum igitur politica Bo-

²²⁾ Stan. Sarnicki, Statuta y metrika etc. pg. 984—1029. cf. Vol. leg. II. fol. 766—777.

²³⁾ Th. Czacki, de lithuanicis et polonicis juribus (pol.) ed. Vars. 1800. T. I. p. 43—56.

²⁴⁾ Ibid. pg. 111 sqq. cf. Andreae Maximil. Fredro, Scriptorum seu Togae et Belli Notationum fragmenta. Dant. 1660. p. 203: „Diversos populos facile posse in unius Reipublicae corpus convenire et retineri, si eosdem mores, habitum, religionem, Comitia, leges, linguam et aerarium admittant communia Ideo in quaque Rep. curandum prudenter, ut haec omnia eadem sint in populis sub unius Reipubl. nomine latentibus Vel si adnectere placet, levissimum esse inter Polonos Lithuanosve divisionis momentum, quod hi aerarium suum in parte habeant, tum sub aliis belli ducibus militent, et quosdam publicos administratos separatim admittant. Tamen ingens saepe Comitiorum difficultas oboritur cum illi nostra negligentius transeunt, sua studiosius tractando“.

²⁵⁾ Chwalkowski Jus publ. Regni Pol. p. 187. 188. cf. Th. Czacki l. c. p. 281. n. 1169.

²⁶⁾ Chwalkowski pg. 195.

²⁷⁾ Idem p. 184.

²⁸⁾ Lelewel, Considérat. §§. 52. 120.

russiae vita provinciali quodam egoismo(!) non caret, ita politica Lithuaniae vita singulare quoddam et publicum momentum juxta Polonicum existere videbatur²⁹⁾.

Mutatum igitur post Lublinensem unionem rerum publicarum cursum facile intelligere possumus ex nova hac inter sese conjungendi ratione et provinciarum characteres et jura, ex conjuncta eorum opera, ita ut pluribus nobis exponendum non sit quomodo ceterae quoque Polonici regni partes ut Severia³⁰⁾, Varmia³¹⁾, Oświęcim, Zator³²⁾, Ruthenensis ducatus³³⁾, Volhynia³⁴⁾, Kiovia³⁵⁾ Podlachia³⁶⁾, Livonia³⁷⁾ singularia jura, quae ipsis cum Polonia conjunctis praestita erant, aut locorum necessitates premerent, et quaecunq; ipsorum usibus adversa essent iis reluctarentur.

Quae omnia ubi reputarimus et addiderimus, inde ab a. 1578 in Polonia iudicium fuisse (Trybunał), quod nullo modo

²⁹⁾ Praeter illa, quae supra attulimus in medium, memineris, quaeso, diversis usus esse ministeriis et Lithuaniam et Poloniam. Lithuani minus sese opponebant regno hereditario Polonis. Quid diversi a ceteris peregerint, notius est quam quod hic premam. Commonefacimus tantum te, L. B., illorum agendi rationis in eligendis Henrico (Gratiani l. IV. ca. p. II. sqq.) Bathorio, Sigismundo III.; artis illorum politicae, quam in electionis consilio a. 1661 probarunt. Vide supra p. 19. 21. 125.

³⁰⁾ Gottfr. Lengnich, Jus publicum Regni Poloniae. Ged. 1742 T. I. p. 25. 26. cf. idem T. II. Gedani 1746 p. 91. 92.

³¹⁾ Idem T. II. p. 100—106. cf. Tom. I. p. 297sqq.

³²⁾ St. Sarnicki l. c. p. 1209—1219.

³³⁾ Ibid. p. 1045—1066.

³⁴⁾ Ibid. p. 1185—1197.

³⁵⁾ Ibid. p. 1180—1185.

³⁶⁾ Ibid. p. 1036—1044. cf. p. 1197—1200.

³⁷⁾ Math. Dogiel, Codex diplomat. T. V. Nr. CLXXXVII. p. 320—324. Constitutiones Livoniae a Stephano Rege sancitae. 1852. cf. Stan. Sarnicki l. c. p. 1200—1209. Historicas, quae usui sint notitias de omnibus his provinciis breviter collectas vide ap. Gottfr. Lengnich, Jus publ. Regn. Polon. T. I. lib. I. cp. VII—XI.

penderet a rege³⁸); diversas fidem quamcunque sequentes sectas confoederatione a. 1573 facta et defensas esse ab omni publicae ecclesiae impetu et oppositionis iure quodammodo instructas³⁹): ubi denique in mentem revocarimus conditionem illam abnormem, qua peregrini inter Polonos populi utebantur⁴⁰), nihil amplius desiderari putemus ad Polonicae Reipublicae formam atque naturam clara in luce ponendas et Polonicorum delegatorum vim ac rationem intelligendam⁴¹).

Civitalis unitas quum omnibus his singularibus rebus tolli videatur, quaeritur, unde intelligi potuerit omnibus illis partibus unam eandemque constitutam esse rempublicam, omnes illas unius fuisse quasi corporis membra? quibus modis Polonia illas sibi compararit opes, quibus XVI^o saeculo pollebat et splendebat inter totum Christianorum orbem? Organum, quo uno diversae illae nationes terraeque, non tam juris publici quam societatis vinculo inter se conjunctae, utebantur et comprehendebantur fuerunt comitia publica. — Comitibus publicis quam arctissima reddita est illa cohaerentia. Comitibus publicis conjunctio est perfecta utriusque illius populi, qui vocabantur duae civitates, Polonia et M. Duc, Lithuaniae, eo Warmiae et Severiae principes, nulli alteri addicti convenerunt neque minus quam diversarum terrarum legati id spectare debebant „Reipublicae vulneribus ut mederentur“.

³⁸) Gottfr. Lengnich, Jus publ. Regni Pol. T. II. p. 536 sqq. Vid. Stan. Orzechowski, Fidelis subditus sive de institutione regia p. 33., ubi jam Sigism. Augusto ad regnum promotō hujus instituti existit suator, ut a Senatoribus rerum privatarum judicia (quae discordiae inter ipsos exortae habebantur esse causa) auferrentur, illudque inter institutum et Graecorum amphictyonias, summam Gallorum curiam, Germani regni iudicium camerarium similitudinem quandam intercedere vult.

³⁹) Vol. legg. II. An. 1573 fol. 841—843. Discorso dell' interregno di Pol. 1587 di Horatio Spanorchii I, c. cf. Lelewel, Considérat. §. 113.

⁴⁰) Lelewel, Considérat. §. 68.

⁴¹) Fr. Modreuii Comment. de rep. emendanda p. 145. 146. Cf. in universum Th. Czacki, l. c. T. I. p. 189. notam 1024.

Neque minus Comitibus publicis singularibus diversarum Reipublicae partium usibus satisfactum est⁴²⁾; neque enim hoc negari poterit repraesentandi, ut ita dicam, modum, qui totius populi usibus serviat, creati non posse theoria quacunque, sed nisi ex ipsius civitatis natura non provenire. Quali intentione totam Polonorum repraesentationem laborasse haud negaris. Provinciae eo habebantur loco, ut, quum nobilitatis privilegia quam maxime iis sustentarentur, et praeterea reges essent debiles aut aliae accederent res secundae⁴³⁾, Regia potestas quam arctissimis ab illis diversissimis momentis, dico terrarum et nobilitatis privilegia, circumdaretur vinculis.

⁴²⁾ Innuimus hic longe diversissimas rationes, habitas illas a comitiis publicis et formarum et caerimoniarum. Cf. Chwalkowski l. c. pg. 195. Lengnich Jus publ. T. I. pg. 18. T. II. pg. 327sqq.

⁴³⁾ Intelligere possumus ut in omnibus compositis aut diversorum populorum regnis, ita in Polonorum quoque rebus, qua constantia imperium in medio positum pugnarit contra singulos justo saepius suam auctoritatem defendentes; sed in Polonia singuli majorem *ἐξέγυσιαν* habebant summa potestate. In Germania e. g. Imperatoris liberum Veto et suprema Imperii judicia existebant sanctissimum Germanicae libertatis palladium. „Das Ansehen des Kaisers, ut ait Joannes Muellerus, wäre vernichtet und ganz Deutschland einer uneingeschränkten zaumlosen Aristokratie preisgegeben, wenn das Veto, das Nonratificationsrecht, dem Kaiser entrissen würde“. Quo jure „Vetandi“ Polonorum reges instructi fuerint necne, quum nondum sit quaesitum, nec nos affirmare possumus: id tamen certum est nihil in jure Polonorum publico fuisse, propter quod reges illo privati essent; et quamvis non inveniamus, ubi illis Veto vindicaretur, est tamen, ubi Sigismundus I. illo sit usus (Vol. legg. I. pg. 566. 567. in constitutionum anni 1543 prooemio. cf. Mart. Cromeri Pol. pg. 522.) — Praeterea Poloniae Reges, Sigismundo I. et Stephano Bathoreo exceptis, pendebant ex Senatus arbitrio, qui solus fere acerrime ordinem equestrem impugnat. „Reges superiores multa ipsis“ (sc. nuntiis terrestribus) „indulgento sive inopiae fisci sui relevandi gratia, sive quieti et ocio suo consulentes“. Cromer lib. 27. pg. 400. cf. Ejusdem Descript. Pol. lib. II. pg. 521. ubi nuntios terrestres initio sciscendi in bellum tributii causa convocatos esse modo tradit et „Deinde vero, ait, cum sive incuria Principum, sive Consiliariorum conniventia, multa negligi et nobilitatis praerogativae minui viderentur, ad alias etiam consultationes de Republica accedere coeperunt“. Imperii Germanici judicium camerarium subditorum quemcun-

Saeculum autem quodammodo id agebat, ut summam regni potestatem quam maxime sibi subjiceret. Repraesentandi igitur institutum, posteriore saeculi XVⁱ parte formari in Polonia coeptum, maxima cum celeritate ad summum potentiae pervenit gradum⁴⁴). Neque id mirum, quum exeunte saec. XV. ea esset Europae conditio, nullam ut videremus publicam potestatem vigore et auctoritate conspicuam. Quid? quod ne Papae quidem tantum valebant, ut Occidentem contra Islamiticos irruentes excitarent⁴⁵)! — Germania praerat Fridericus III. deses ille, omnibus circa eum quam maxime motis, urbibus quam acerrime cum nobilitate pugnantibus, ubi vis juris loco haberi solebat, ubi non raro comitia publica et consiliis et factis destituebantur⁴⁶). — In Gallia omnia quum tenerent Britanni, habebantur duae summae curiae, duo jura civilia, duo reges, regia potestas omni vigore exuta. In Britannia furebat certamen utriusque roseae, summa curia dum caret auctoritate, summi quique domini pollent opibus. In Italia viribus minores et potentiores inter se certabant; in Hispania eo perventum est, ut Henrico rege a solio depulso regni proceres nihil ad ordinem servandum valerent. Quid multa? nusquam terrarum summa quidem potestas pollebat auctoritate; sed incredibile est quanta protulerit idem saeculum. Ubique quidem pugnatur contra summam potestatem, sed eodem tempore laboratur, rebus ut internis suis reddatur ordo, quam ad rem multum contribuerunt et nationum genius quam acerrime prorumpens et renatae litterae.

His enim quum, quibus ingenia per totum medium aevum

que defendit contra principum nobilitatisque potestatem; in Polonia ordo equester utebatur suo neque a rege pendente iudicio. (T. Czacki l. c. T. II. pg. 79. nota 310.)

⁴⁴) Vlad. Bentkowski Vicissitudines comitiorum in Polonia sub regibus stirpis Jagellonicae etc. Acta Societatis Jablonowianae nova T. VII. Lips. 1839 pg. 41.

⁴⁵) Leop. Ranke Pápste Bd. I.

⁴⁶) Leop. Ranke Geschichte im Zeitalter der Reformat. T. I. lib. I

constricta tenebantur, vincula essent disrupta, omni modo classicam, quam vocant, antiquitatem imitando exprimere studuerunt, studuerunt veterum rationes in sua transferre tempora; — nova, quibus efformandis multa sane obstabant impedimenta, veterum quasi perfunderentur ingenio! Quae saeculi studia tantum abfuit, ut Polonia non imitaretur, ut omnes aequaret⁴⁷⁾, sed propter aetatem antegressam suo debebant modo efformari. Qui Polonicae igitur Reipublicae formam ad Romanae normam expressam esse et proinde ut illam degenerasse existimant, ne illi parum respexerint, publica Polonorum instituta ex veteri Roma petita non esse, sed in patria terra exorta cum historica Polonicae Reipublicae existentia conjuncta fuisse — quamvis iidem haud injuria fortasse statuerint, popularibus antiquitatis, ideis vim tribuendam esse haud parvam, ut politicae et sociales Polonorum notiones firmarentur. Fundamentum igitur quod fuisset, qualis finis politicus, quem cum recentior Reipublicae Polonorum forma tum repraesentandi institutum sequi deberet, quum jam hucusque primis lineis ita adumbrasse nobis videtur, ut quaestioni aliquatenus satisfacere, age jam de repraesentandi systemate longius ex cultis disputemus. Ut in ceteris Europae terris, ita in Polonia quoque XV^o saeculo exeunte Regia potestas nimis debilis reperta est, quae per se ipsa sola rem publicam administraret. Contra Polonici reges ex Piastarum stirpe oriundi nihil nisi suam curabant auctoritatem⁴⁸⁾, nemine nisi episcopis passim intercedentibus. Adhibebant iidem concilium seu malis Senatium, compositum illum praesulibus regnique proceribus sed pendentem ex Regum nutu atque arbitrio, qui in vectigalibus terrae imponendis non nihil illi tribuerunt⁴⁹⁾. Auctum erat splen-

⁴⁷⁾ Mich. Wiszniewski, *Historia liter. polsk.* Krak. 1845. 46. T. VI. et VII.

⁴⁸⁾ Mart. Cromeri Polon. pg. 502, cf. 505. „Priscis temporibus viva lex erat, Rex sive princeps“.

⁴⁹⁾ Ibid. pg. 503. 505.

dore idem concilium non exiguo, quibus temporibus Piastae invicem sese persequentes spoliabant, sed non auctum ita, ut Casimirus Magnus iis obedire cogeretur. Contra Ludovici studiis dynasticis ea est illis comparata potentia in re publica, qua paulo post abuterentur⁵⁰⁾. Munere, quo fungebantur, erant publici tantum magistratus, sed quum privilegiis atque immunitatibus ingens factum esset populi dissidium, diversarum terrarum, quibus praerant, quasi redditi sunt domini. Ipsi fuerunt, qui omnium provinciarum conciliorum auctores existerent, qui instituerent particulares conventus, ex quibus paulo post orirentur Comitia publica. Quum enim propter diversa et praecipue propter bellum Borussicum (1454-1466) majora vectigalia terrae essent imposita, et proinde ordo equester inter haec proelia altius spirare coepisset⁵¹⁾, quam quod privilegiis quantiscunque fieri posset, jam quae Rex regni proceres ab ipso postulassent tributa, ferenda sibi haud esse existimavit. Ad particulares igitur conventus a. 1467 convocatus ordo equester se illa tributa daturum esse negavit, cujus rei has protulit causas, et quod ipse a ceteris civibus non tanta instructus esset potestate, neque quod singulae provinciae, ceteris insciis, quidquam decernere possent⁵²⁾. Distincte est ita proclamatum, id quod totus ordo equester postulabat, nulla ut, nisi ipse consensisset, penderet vectigalia. Cui desiderio ita obsecutus est Casimirus Jagellonides Rex, ut comitiis proximis Petricoviae habendis binia singulorum Palatinatum ordine equestri delegati et ipsi nobiles crearentur, summa hi potestate instruendi quod ad nova vectigalia attineret

⁵⁰⁾ Joach. Lelewel, *Considérat* §. 6-45. cf. Bentkowski l. c. Th. Czacki l. c. T. I. pg. 277. nota 1168.

⁵¹⁾ Andr. Max. Fredro, *Scriptorum seu Togae et Belli notationum fragmenta*. Dant. 1660. pg. 64.

⁵²⁾ Długosz ed. Lips. T. II. pg. 403. 404. Mart. Cromer, *de reb. pol.* pg. 399. 400. Bentkowski l. c. Chwałkowski, *Jus. pub.* pg. 184. cp. VI.

imponenda. — Atque haec sunt primordia delegatorum instituti in Polonia. Ordo equester a. 1468 Petricoviam congressus non solum ipsius partes sed et illorum egit, qui quum ipsum delegassent primum liberum legibusque sancitum eligendi jus adepti sunt; idem a Regis consiliariis disjunctus est. Jam inde ab eo tempore. Polonia utebatur comitiis publicis, compositis iis ex Senatu, i. e. proceribus, quorum ope ante populus quae vellet patefecerat, et nuntiis terrestribus i. e. diversarum delegatis provinciarum, quos ordo equester inter suos elegit⁵³⁾. — Eadem justa comitorum componendorum ratio retenta est, dum exstabat Polonorum Respublica, sed ipsum delegatorum systema ulterius excultum est idque ita factum esse putamus, ut cum muneribus nunciorum terrestrium auctis ipsum propagaretur. Initio multa quidem particularibus conventibus fuerunt relicta, sed paullo post hi comitorum ad eligendum convocatorum („comitiola, conventus particulares“) fruebantur tantum auctoritate, in quibus provinciarum commoda nunciorum terrestrium curis erant commissa. Negari quidem non potest, jam a. 1496 nunciis terrestribus partem quandam in legibus ferendis tributam fuisse⁵⁴⁾, sed certius est illud, nuncios terrestres, ne his quidem contentos, postulasse ut melius caveretur ipsorum postulatis — hoc ideo fecisse videntur, Senatus potentiam satis adhuc magnam ut perfringerent — idque hoc a. 1505 assecutos esse. Edixit enim hoc anno Alexander Rex in conventionem Radomiensi, qua re regiae potestati inter Polonos si quis alius maximum attulit detrimentum, haec:

„Quoniam jura communia, inquit, et Constitutiones publicae non unum sed communem populum afficiunt, itaque in

⁵³⁾ Bentkowski l. c. §. 42.

⁵⁴⁾ Vol. leg. I. An. 1496. Tit. De bello et constitutionibus decernendis. fol. 254.: „Item pollicemur, quod nullas novas constitutiones faciemus neque terrigenis ad bellum moveri mandabimus absque conventionem communi in singulis terris instituenda“. Cf. Leliewel, Consid. §. 56.

„hac Radomiensi Conventione cum universis Regni nostri
„Praelatis, Consiliariis, Baronibus et Nuntiis terrarum, ae-
„quum et rationale censuimus ac etiam statuimus, ut deinceps
„futuris temporibus perpetuis nihil novi constitui debeat per
„nos et successores nostros sine communi Consiliariorum
„et Nuntiorum Terrestrium consensu, quod fieret in
„praejudicium gravamenque Reipublicae et damnum atque
„incommodum cujuslibet privati ad innovationem
„que juris communis et publicae libertatis“⁵⁵⁾.
Ampliora ne nuntii quidem terrestres ipsi postulasse videntur,
siquidem satis habuerant, Sigismundum I. Regem a 1538
Alexandri edictum sine ullo additamento confirmasse⁵⁶⁾, postquam
re ipsa jam annis 1520⁵⁷⁾ et 1532⁵⁸⁾ iis cum Senatu conjunctis
concesserat, legum ferendarum ut muneribus fungerentur.
Praeter hoc legum ferendarum jus illa eadem Alexandri
constitutione nunciis terrestribus altera facta est copia, siquidem
eo sunt jure instructi, ut non modo jus publicum defenderent a
Rege et quocunque ejus commutandi impetu, sed etiam aliquantum
iis tribueretur in ordinandis rationibus inter summam potestatem
et cives intercedentibus. Quam constitutionem miram reddunt
causae additae, in quibus determinantur et opponuntur: „non
unum sed communem populum“ siquidem iis non modo probatur,

⁵⁵⁾ Vol. leg. I. Anno 1505. Tit. De non faciendis constitutionibus sine consensu Consiliariorum et nuntiorum terrestrium. fol. 299. 300. Quae T. Czacki de hoc edicto dixit, invenies in ejus Opere jam saepe a nobis laudato. T. I. pg. 35. nota 187.

⁵⁶⁾ Vol. leg. I. Anno 1538. Tit. De novis Constit. fol. 526. „Constitutiones novas non nisi cum Consiliariorum et Nuntiorum terrarum consensu, secundum statutum Alexandri regis faciemus“.

⁵⁷⁾ Vol. leg. I. An. 1520. Tit. De confirmandis juribus et consuetudinibus Regni. fol. 392. 393.

⁵⁸⁾ Vol. leg. I. An. 1532. fol. 499 sqq.

recte nos supra Polonicae Reipublicae naturam definiisse, sed id quoque involvitur quodammodo, uniuscujusque nunciorum terrestrium assensu opus fuisse; neque enim in unitate, quae unicuique sequenda est, sed in communione civium eodem jure utentium, ubi singuli diversa postulant, nemine obstante quid velint proderi possunt, vinculum positum esse vult civitatis. Neque tamen eam propter rationem plurimum tribuerimus huic constitutioni, nam postulatio assensus omnium nunciorum nullo modo esse posset sanctio vetandi juris, quod omnia, quae constituta erant, irrita redderet, quamvis ex eadem ipsa posterioribus temporibus legitimum esse „Liberum Veto“ deducebatur, quia hanc potius sequimur sententiam, liberum Veto, Republica Polonica nil nisi foederis formam exprimente multo antea „de facto“ (quod dicunt) fuisse, priusquam constitutione ulla sancitum esset. — Ne plura: hanc constitutionem intelligimus gravissimam esse in jure Polonorum publico: est enim legale totius, quam postea sibi compararunt Comitia publica, potestatis fundamentum, ad quam ubi accessit jus pacis foederisque ineundi, jus bellorum, jam ea pollebant auctoritate⁵⁹⁾, ut summam exercerent in populum potestatem⁶⁰⁾.

⁵⁹⁾ Veteri illi sententiae ap. Cromer (l. c. p. 502) „Viva lex erat Rex seu princeps“ jam primis Sigismundi Augusti regni annis Stanisl. Orzechowski, scriptor in Polonica historia haud ultimo loco nominandus (Stanisl. Orichovius, Fidelis subditus sive de institutione regia ad Sigism. Aug. libri duo. Crac. s. a. pg. 25.) hoc opponit: „At nos non in Neronis regno nati, sed in Sigismundi editi patria, ita a majoribus nostris edocti sumus, ut sciamus Regem deligi propter regnum, non regnum constitui propter Regem. Ex qua ratione (p. 26.) multo nobilior atque dignior Regnum arbitramur esse Rege. Lex vero cum anima sit et mens regni, ideo potior est procul dubio regno et consequenter Rege. Major ergo erit lex, quam Rex et melior et longe illo nobilior“.

⁶⁰⁾ Ibid. p. 54. 55. Warsewicius, de optimo statu libert. Crac. 1598. p. 155. „Joannes Podlodovius, Lupa dictus, et ex Sandomiriensi municipio pro Comitibus Legatus, Sigismundum I., hujus regis patrem, fuerat allocutus: Meminisset se esse regem, non imperatorem: et idcirco regere suos non absolute imperare velle eum oportere“. Cf. Orichov. l. c. p. 54. 55.

Illorum prius assecuta sunt a. 1569⁶¹⁾, posterius a. 1611⁶²⁾, postquam jam diu gravissimi fuerunt momenti in re militari administranda⁶³⁾.

⁶¹⁾ Vol. leg. II. Ann. 1569 fol. 772. 10. cf. ibid. fol. 1208. Constit. ann. 1588: Tit. „De Pactis et foederibus“ ubi dicitur: „a rege nulla pacta foederave, Senatu inscio, iniri posse“. Quod jus ut Senatores nunciis terrestribus ne tribueretur studuisse, ita nuncii terrestres summis studiis videntur petiisse. Turbae quibus Sigismundi III. regnum affliciebatur haud parum hinc fluxerunt, donec illud inde a Vladislao IV. regnante nunciis terrestribus nullo modo denegari potuit. Cf. Lengnich, Jus publ. Pol. T. II. pg. 454sqq.

⁶²⁾ Vol. leg. III. Ann. 1611. Tit. Poparcie woyny mosk. fol. 2. Quod jus anno demum 1613 ordinibus tributum esse vult J. U. Niemcewicz (Res gest. Sig. III. (pol.) T. I. praef. pg. 78). Quam ad sententiam confirmandam utitur fortasse hujus anni constitutione: Tit. O podnoszeniu wojeny przyjmowania woysk. fol. 163, quae quibus rebus a constitutione anni 1611 differat non intelligimus quum utraque, quod attinet ad rem, de qua agimus, iisdem utatur verbis. Simillima earum est constitutio a. 1646. Vol. leg. IV.

⁶³⁾ Quod discrimen jure statuendum esse videtur, ne incidamus in vitium, quod a Davide Braun (de juribus Majestatis sive regalibus Regni Poloniae. Colon. 1722. pg. 5.) et Lengnich (jus. publ. Regni Polon. T. II. p. 401.) commissum putamus. Hi enim jus belli inferendi ordinibus tribuunt jam a. 1454. usi in hac re constitutione, quam supra not. 54 citavimus. Cui constitutioni inde ab a. 1496 demum in Polonorum rebus aliquid tribuendum est; falso enim addita est constitutionibus Nieszawiensibus a. 1454 (Bandtkie Jus Polonicum cf. Lelewel Consid. §. 56. not.) et spectat motionem generalem Nobilitatis (Pospolite ruszenie), minime jus belli inferendi. Idem est dicendum de „promisso“ a Stephano Bathorio a. 1576. facto (Vol. leg. II. pg. 898 artic. 4 edit. vet. pg. 54.) illaque sententia, quae in universali vectigalium Indice a. 1578. (ib. pg. 980. edit. vet. pg. 342) invenitur, ubi historia duce accuratius eam examinaveris. Nunciis quidem terrestribus nonnihil relictum erat momenti in omni bellorum gerendorum ratione, quum vectigalia imponi populusque universus nisi ipsis concedentibus, ad arma vocari non posset; sed non erat penes eos, bellum utrum inferendum esset neque. Quos hoc jus sibi ut arrogarent, diu studuisse, haud difficile potest probari; sed vel a. 1596. Karnkowski, Regni Primas, iis exprobrat, quod hoc usurpent: „In tantum, inquit, ad summum excrevit potestas nuntiorum, ut audeant absolutam potestatem pacis et belli dare quod eorum muneris non est“. (Karnkowski, Exorbitancye y naprawa koła Poselskiego s. I. 1596. Nr. 23.)

Paulo post summa redituum publicorum potestas eis est facta (1632)⁶⁴). Magnis quidem cum studiis nuncii terrestres id agebant, ut juris dicendi facultatis quam possidebant Comitata publica, non minus participes fierent quam Senatus; sed iis quam acerrime quum resistere-
tur, nihil amplius sunt assecuti, quam ut iis post Zborowskianam causam Stephano Bathorio regnante actam, rex Senatusque permitterent, ut vel hujus rei eorum delegatis — initio 8, postea 24 — copia fieret⁶⁵).

Aucta vero Comitiorum publicorum auctoritate, modum rationemque, qua illa convocarentur, esse mutalam, non est quod pluribus demonstramus. Constitutio a. 1467 facta vult, ante universalem Conventum, qui a. 1468 Petricoviae haberetur, fieri particulares conventus in variis palatinatibus, quibus ordo equester et delegatos eligeret et summa vectigalium imponendorum potestate intrueret⁶⁶). Qua utraque tantum re quamdiu particulares conventus fuerint occupati, non potest inveniri, id tamen certum est, eos vel hac facultate ornatos quam maxime Comitiorum agendi modum eorumque, quae ab his facta sunt, decretorum vim turbasse atque imminuisse. Nonnulli enim palatinatus delegatis, ut vectigalium postulatorum tum demum auctores fierent, ubi major delegatorum ab aliis Palatinatibus ejus rei exstitissent auctores, mandabant⁶⁷): alii contra quam acerrime suorum spectabant locorum commoda et privilegia, summaque cum vi vel longe majori resistebant assentientium numero, quin etiam eo perventum est, ut a. 1514 duae Cracoviensis Palatinatus regiones, decreto ipsius generalis Conventus contravenientes, mitterent ad Sigismundum I. legatum Taszickium cum hac excu-

⁶⁴) Vol. leg. III. An. 1632. Tit. Opatrznie Nayiasnjeyszego Potomstwa naszego, fol. 709, 710, s. finem. Cf. quae de reditibus publicis supra §. IV. pg. 138. nota 71. annotavimus.

⁶⁵) Gottfr. Lengnich, Jus publicum Regni Poloniae T. II. pg. 358. 359. 536. cf. Chwalkowski lib. III. ep. II. pg. 399. seq.

⁶⁶) Bentkowski l. c. §. 42.

⁶⁷) Marcin Bielski, Kronika, ed. Warsz. 1764. pg. 496.

salione: „quod videlicet nuntii eorum Petricoviam missi non haberunt potestatem ullam consentiendi ad aliqua nova et inconsueta⁶⁸⁾“ idque perficerent, ut generalis conventus decretis ratis non habitis, novus Regi conventus Cracoviensis regionis convocandus esset, a quo necessariam ad regnum defendendum pecuniam impetraret⁶⁹⁾. Qualis discordia inter conventus generalis auctoritatem et singularum provinciarum consilia eo saepius non exoriri non potuit, quo magis aucta est nunciorum terrestrium potestas: cui malo ita occurrere studebant, ut electores omnium, quae in conventu generali edicto agerentur, rerum certiores fierent litteris universalibus, quibus Rex conventum indicebat. Ita enim delegati de omnibus rebus, quae in disceptationem vocandae essent, quid electores fieri vellent, poterant informari. Nihil igitur est, quod dubitemus jam inde ab anno 1505 — certe inde ab a. 1510, quo de his particularibus conventibus deliberabatur⁷⁰⁾ — Regi, ubi conventum generalem haberi vellet, consilio cum consiliariis inito, litteris illis universalibus, quibus Comitia convocaret, omnes res enumerandas fuisse, quae conventui instanti proponerentur. Insequentis enim anni 1511 jam tales litterae universales exstant⁷¹⁾, item annorum 1512⁷²⁾, 1513⁷³⁾, 1514⁷⁴⁾, quam ob rem nos erraturi

⁶⁸⁾ Acta Tomiciana (ed. T. Działynski) Posn. 1853. Tom. III. pg. 69. Nr. LXXIX. sqq. Cf. ib. pg. 128. Nr. CLXXXII.

⁶⁹⁾ Ibid. pg. 131—138. cf. ibid. pg. 284.

⁷⁰⁾ Vol. leg. I. An. 1510. Tit. Tempora determinata, quibus Conventus particulares sequi debeant; et Tit. Poena statuta contra non venientes ad Conventus. fol. 366.

⁷¹⁾ Acta Tomiciana Tom. I. p. 218. No. CCLXXXVI. cf. ibid. p. 217. No. CCLXXXV.

⁷²⁾ Acta Tomiciana. Tom. II. pg. 5. No. VI. pg. 8. No. X. pg. 41. No. XXXII. pg. 64. No. L. pg. 118. No. CXVI.

⁷³⁾ Ibid. pg. 152. No. CLIX. pg. 174. No. CCI. pg. 175. No. CCH. pg. 208. No. CCLXV.

⁷⁴⁾ Ibid. Tom. III. pg. 17. No. VI. pg. 44. No. XLVII. pg. 132. No. CLXXXIX. pg. 283. No. CDIV. pg. 287. No. CDIX.

non esse videtur, quod vulgatam illam impugnemus opinionem, qua hoc anno demum 1521 usu receptum esse credunt ⁷⁵⁾.

Tali igitur modo Conventus generalis acta prorsus popularia sunt reddita; in particularibus enim conventibus, qui semper tribus hebdomadibus ante conventum generalem celebrandi erant, in univ^{er}sium jam omnia decreta sunt, de quibus convocatis ordinibus esset deliberandum. Nuntii terrestres creati ab electori-

⁷⁵⁾ Bentkowski l. c. §. 55. Lelewel, *Considérations* §. 59. Hoc anno (1520 exeunte) jam agebatur de ordinando delegatorum systemate, id quod jam Bielski (pg. 496) nos docet. Conventus deinde generalis, expeditionis contra Borussiam (anno 1520 vertente) susceptae tempore Bidgostiam convocatur, quum sollemnes provincialium conventus melius ordinare temporisque spatium, intra quod conventus habendus esset generalis, accuratius definire studeret: quatuor annorum adoptarunt cyclum. Quam ob rem satis est mirum, ab nullo rerum scriptore hujus rei mentionem factam esse — quid? quod ne hanc quidem constitutionem in illa, quam saepius memoravimus, *Sylloge „Voluminum legum,*“ quamvis iis Bidgostiensis conventus decreta continentur, invenimus neque ulla eorum posterior exstat mentio! Itaque ex *M. S. Actorum Tomicianorum* Vol. V. fol. 365. 366. ubi Bidgostiensis conventus decreta perscripta sunt, huc transtulimus haec: „Tit. Modus celebrandi generalia comitia regni. — Petiti a terrestribus Nuntiis, celebraturi sumus generalem Conventum anno proxime futuro, tempore aliquo competenti, et permittemus particulares Conventus in omnibus districtibus omnium Palatinatum regni nostri, in quibus ad generalem Conventum proximum pro suo arbitrio deputabunt Nuntios et suis impensis mittent; sex tamen Nuntii ex singulis Palatinatibus majoribus missis, nos de more servato antea, expensa pro arbitrio nostro dabimus. Ad conventum vero particularem quilibet Nobilis illius Districtus ubi celebrabitur, venire debet sub poena decem marcarum irremissibiliter exigend. ab his, qui habent villas suas integras. Hi autem Nobiles, qui integra(s) villa(s) non habent, unius sexagen. pena punientur. Infirmi autem et a Regno absentes vel alia legitima causa impediti ab his exempti esse debent. Conventus vero ejusmodi generales de uno, quarto, in quartum celebrare tenebuntur usque ad duodecim annorum decursum et eodem modo praemittere particulares Conventus in districtibus“.

bus scripto iubebantur hanc vel illam sequi rationem⁷⁶⁾. Quam se fideliter secuturos esse ubi juraverunt⁷⁷⁾, selecti terrarum nuncii, singuli ex quinque illis, quibus componebatur Poloniae regnum, provinciis convenerunt, ut hujus vel illius loci Senatore praeside instructiones in variis regionibus conscriptas inter se conferrent et collatas, quippe quibus tota provincia quid fieri vellet exprimeretur, cum conventu generali communicarent. Provinciales hi conventus nominabantur: „Jeneraly“ (i. e. conventus generales) et jam XVII^o saeculo exeunte haberi desiti sunt, quum jam saeculo XVI^o vertente antiqua exuti natura nil nisi quae jam particulares conventus fecerant repeterent⁷⁸⁾.

Ita sensim sensimque a. 1540 numero rebusque, quae in nuntiis terrestribus requirerentur, definito⁷⁹⁾, decretoque a. 1576 facto, ut duorum, non quatuor annorum spatio, quod constitutio Bidgostiensis a. 1520/21 (vide notam 75) poscebat, ordinarius Conventus generalis celebraretur, qui haud diutius — nisi ordines ipsi

⁷⁶⁾ Czacki, De lithuan. et polon. juribus (pol.) T. I. pg. 307. nota 1191.

⁷⁷⁾ Kochowski Climacter III. pg. 10: „Hinc (sc. successoris designandi causa) evenit tunc primum in Conventu Sandomiriensi Opatoviae ut Terrestres Nuntii ad Comitata designati, juramento adstringi debuerint: quatenus intra sphaeram Instructionis datae se continentes, non ultra quam jussi essent, licere sibi opinarentur“.

⁷⁸⁾ Mart. Cromer, qui rerum scriptor a medio saec. XVI. vixit, description. Poloniae ed. Colon. 1589 pg. 520. 522. hanc rem tam accurate enarrat, ut illam, quam superiore exhibuimus loco, sententiam, inde a primis repraesentandi initiis in Polonia, satis pervulgatam et usque ad novissima tempora retentam fuisse jure statuere possimus. cf. Lengnich, Jus publ. Pol. T. II. p. 291. lib. IV. cf. Przegląd pozn. 1848. T. 6. p. 285.

⁷⁹⁾ Vol. leg. I. Ann. 1540. Tit. De numero nuntiorum terrestrium. fol. 564. 565. Quivis ex equestri ordine „bene natus et possessionatus“ creari potuit, quum praeterea neque census neque aetas definita requiretetur. „Quodque nullus nuntiorum eligatur, qui causam et actionem judicariam in Conventu agendam haberet“ unica praeterea est clausula. Cf. Chwalkowski l. c. pg. 185.

hoc tempus migrare decrevissent — quam 6 hebdomades sederet⁸⁰), formalis pars Polonici delegatorum systematis fixa erat. Praeterea autem, ubi Reipublicae commodum id postularet, extraordinarium conventum generalem convocare licebat Regi⁸¹), idemque interregni tempore Regni Primati licebat⁸²).

Polonorum delegatorum systema quibus fundamentis sit nisum, jam si quaesieris, difficillime illa accurate definire poterimus. Polonorum delegati utrum creati sunt systemate, quod dicunt, repraesentante an systemate ordinum an terrae? Sustinebatne Polonicus terrae nuntius totius rei publicae an ejus modo provinciae, illius modo, qui ipsum delegarat, ordinis personam? Majores quidem nostri fortasse tales non distinguebant quaestiones⁸³); sed pro illa, qua nunc utuntur litterae, conditione non possumus iis supersedere, siquidem veram hujus rei naturam perquirere nobis sit constitutum.

Jam primum quod ordines attinet (staendische Repraesent.), de iis in Polonia eatenus modo cogitari potest, quatenus ab eo ordine, qui unus nullis legibus impeditus civitate et utebatur et fruebatur, delegati ad Conventum generalem mitterentur, et Senatores, qui quod ordinem attinet nullo modo a cetero nobilium numero discrepabant, privatum modo haberent concilium neque civium voluntatibus sed a rege tantum creati ad hanc possent

⁸⁰) Vol. leg. II. Ann. 1576. Tit. Litterae Confirmationis articulo- rum Stephano regi oblato- rum. fol. 899. art. 7. cf. ibid. fol. 1374. An. 1591. Tit. O Seymie.

⁸¹) Lengnich, Jus publ. Regni Pol. T. I. pg. 333. sqq. T. II. pg. 372. §. L.

⁸²) DamaŹevicjus, Series Archiep. Gnesn. Vars. 1649.

⁸³) Ne nobis crimini vertatur, quod theorias, omni historiae Polonicae fundamento destitutas sectamur, in memoriam revocamus quae dixit Ocieski, Poloniae cancellarius, a. 1551 ap. T. Czacki l. c. T. I. pg. 307. Quibuscum compara: Zwierciadło Rzeczyp. pol. (i. e. Speculum Reipublicae Polonicae) an. 1598 exhibitum, sub finem. (Bibl. Korn.).

pervenire dignitatem. Generale vero quod spectat repraesentandi momentum Polonicum delegatorum systema nulla alia re nitur nisi conditione illa privilegiis quidem munita, sed inter se prorsus aequa, qua unusquisque nobilium fruebatur. Similius est systemati provincialis repraesentationis, quatenus historia constituti Reipublicae corporis commoda locis discreta respexit. Repraesentatio igitur Polonica erat provincialium repraesentatio⁸⁴⁾, temperata (zersetzt) illa diversarum jure publico provincialium singulorumque nobilium privilegiis, sed prorsus hanc exprimens, confirmans, generalem constituens notionem (verallgemeinert): omnibus civibus eundem deberi locum jure publico⁸⁵⁾.

Quibus praemissis facere non possum, quin nonnulla de agendi, quo utebatur generalis Polonorum conventus, ordine afferam, quippe ex quo, quamvis id omnino neglectum sit, optime pateat, quando et quo modo generalis conventus rumpi potuerit. Res singulas percensere, quas satis copiose apud Godofr. Lengnich expositas invenias⁸⁶⁾ quum hujus non sit loci, nonnulla ideo tantum in medium afferam, quia ex Lengnichij opere, qui sui ipsius temporis conventus generales imprimis respexit, clare

⁸⁴⁾ Martini Cromeri Descr. Pol. lib. II. ed. Colon. 1589. pg. 521. Andreae Fricii Modreui Commentariorum de rep. emendanda libri V. ed. Basil. 1554. lib. I. cp. X. pg. 39. — (Stan. Karnkowski), Exorbitantiae nuncior. terrestr. (pol.) an. 1596. Vesp. a Kochow Kochowski, Clim. I. pg. 313: „Praesidet (sc. Comitii) summo jure Rex, assidet Senatus, circumstant Terrarum nuncii, dicuntque sententiam non minus libere quam acriter . . . Seu belli gerendi rationes in deliberationem veniunt, seu de foederibus, de tributis disputatur, isti nomine Provincialium de jure respondent, quod unicuique vetandi aut jubendi integrum manet“. cf. Lengnich, Jus publ. Regni Pol. T. II. lib. III. cp. IX. pg. 211, cf. ibid. 330.

⁸⁵⁾ Civis Bonus sive Lacon seu de reipublicae recte instituendae arcanis, dialogus conscriptus a Gasparo Siemek. Crac. 1635. cp. IV.

⁸⁶⁾ Gottfr. Lengnich, Jus publicum regni Poloniae T. II. lib. IV. cp. 2. §§. 6—55.

haud intelligas, quid jam diu solemne, quid posteriore demum aevo in usum receptum fuerit. Quem ob finem satis plena relatione historici, rerum publicarum administratione haud parum occupati, qui medio XVI^o floruit saeculo, utemur pro fundamento; ad quod et alia publica adhibebimus documenta et res a scriptoribus, qui ante ann. 1652 vixerunt, memoriae nostrae proditas.

Martinus Cromerus igitur haec de comitiis sui temporis referens: „Quo (i. e. in comitia), inquit, ubi conventum est, re sacra solenni itidem in templo publice peracta, itur ad aulam. Ibi principe et consiliariis in corona consistentibus astantibusque pone secretariis et nunciis, Cancellarius vel Procancellarius Principis nomine proponit in medium, quibus de rebus in commune consuli operae precium sit. Deinde consilarii, ab Archiepiscopis et Episcopis orsi, ordine dicunt sententias. Hinc nuntii petita a rege venia secedunt in aliud conclave iisdem de rebus inter se consultaturi. Reversique sive eadem, sive alia die per unum aliquem exponunt id, quod ipsis in commune visum est, quid probent, quidve requirant. Nonnunquam pluribus mandant, si plura sint negotia proponenda, ut suum quisque edisserat. Non modo enim iis de rebus, quae principis nomine propositae fuere, sed etiam, si quid aliud ipsis in mentem venit de republica postulant vel admonent. Id vero si est ejusmodi, ut consultationem requirat, et ab eorum functione non alienum esse videatur, dicuntur etiam de eo sententiae a Senatoribus, exclusis nunciis, interdum etiam non exclusis. In omnibus autem consiliis postremus omnium dicit princeps. Et quod ei placuit, decreti comitalis et legis habet vigorem, dummodo prioribus legibus, nobilitatisque aut sacri ordinis praerogativis ne adversetur. Tunc enim refragari placito principis non solum senatui, sed etiam nunciis fas est. Itaque in ejusmodi consultationibus suspendit fere sententiam suam Rex, donec inter nuntios et senatores, majore

remve eorum partem conveniat. Sed hoc jam aliter modificatum est⁸⁷⁾“.

Quae eadem, quamvis illa primis lineis adumbrata, est agendi rationis imago in comitiis publicis atque illa, quam Lengnich nobis omnibus partibus absolutam prodidit. In quibus ad tria inprimis respicias, L. B., momenta in Cromeri relatione:

- 1) ad Comitiorum inaugurandorum rationem,
- 2) ad nunciorum terrestrium consultationem in ipsorum conclavi factam,
- 3) ad Comitiorum publicorum finem.

Quorum quod primum attinet, memorandum est, XVI^o saeculo exeunte fere hunc morem receptum esse, ut terrarum nuncii, re sacra sollemniter peracta, prius quam audirent in Senatu sententias a Senatoribus prolatas, ipsorum in conclavi marescallum ita eligerent, ut hujus rei arbitrium majori sententiarum numero esset relictum⁸⁸⁾.

Ad alterum autem quod spectat momentum, intelleximus, ordines nonnihil temporis congregatos in partes discedere et nuncios terrestres, postquam Senatorum votis proferendis interfuerunt,

⁸⁷⁾ Martini Cromeri Polonia liber alter, de republica et magistratibus Polonorum ed. Colon. 1589 pg. 521. 522. Prima editio hujus operis Basil. 1568 prodit. De Cromeri vita et scriptis vide Simonis Starovolskii Scriptorum Polonorum *Εκατοντάς* etc. Nr. IX. cf. Braun, Catalog. bibl. Zaluscianae s. judicium de scriptor. Polon. p. 31. — Mizler in Magna collectione histor. Pol. T. I. p. 115.

⁸⁸⁾ Chwałkowski, Jus. publ. regn. Pol. p. 194. Lengnich l. c. p. 330. §. XV. Quo certo tempore hoc sit factum, nondum satis accurate definitum est. Nonnulli (Maraczewski) hanc rationem primum in comitiis, quibus Henricus coronaretur, probatam esse volunt (cf. Heidenstein p. 53.); alii vero, e. g. Th. Czacki (de Lithuaniae et Poloniae juribus nota 168 (pol.)), eandem jam Sig. Augusto regnante obtinisse contendunt. Jam in comitiorum a. 1648 habitorum diario (ap. J. U. Niemcewicz, Zbiór pamiętników o dawnęj Polsce. ed. nova Lips. 1838. T. I. p. 25 sqq.) nunciorum terrestrium marescallum invenimus.

„suo conclavi“ („Stuba“) usos consultare. Praeterea omittendum non est Regi et senatoribus causas, quae ad judicia comitialia pertinerent, curae cordique fuisse⁸⁹⁾, nunciosque terrestres in secreto conclavi de rebus principis nomine propositis consultasse, quibus etiam „si quid aliud ipsis in mentem venit“ admiserent, h. e. plerumque palatinatum, quorum nomine delegati erant, causas⁹⁰⁾.

Inter ipsam consultationem uterque ordo saepius congregantur, ut inter ipsos de differentiis conveniat, — nonnunquam nonnulli tantum a nunciis terrestribus ad Senatum delegantur⁹¹⁾. Id modo, quod nuncii terrestres, ter interrogati „Czy zgoda?“ („num placeret?“) probarunt, litteris mandatur a conventus generalis secretario ut „articulus“ qui assensum tulit nuntiorum terrestrium collegii. Contra ubi quis surrexit, utens his verbis: „Sisto activitatem seymu“ (i. e. comitorum), omnis deliberatio suspenditur, terrarum nuncii „carent activitate“, donec ille, qui sese opposuit meliora edoctus conventui generali „activitatem reddat“⁹²⁾. Qua re quom fieri non posset, quin deliberatio et im-

⁸⁹⁾ Lengnich l. c. pg. 358. §. XL. Heidenstein pg. 233. Piassecki pg. 15.

⁹⁰⁾ Christoph. Warsewicii (qui fuit Joannis Warsewicii, Jesuitae notiss. frater), de optimo statu libertatis libri duo. Cracov. 1598. p. 82. p. 98. 113. Stanisł. Lubieński, Opera posthuma. Antw. 1643. De motu civili in Polonia (Sigism. III.) p. 46. 47.

⁹¹⁾ Lengnich l. c. pg. 355. §. XXXVII. cf. Stań. Karnkowski, Archiep. Gnesn. „Exorbitancye y naprawa kół poselskiego dla dobra R. P. widane y napisane i. e. Exorbitationes et correctio conclavis nuntiorum in Reipubl. commodum conscriptae et editae an. 1596. 16 pgg. non numeratae, sect. IVa. ubi de iis agit, quae ad concordiam inter nuncios restituendam adhibeantur 1-4. (Bibl. Kornic.)

⁹²⁾ Stanisł. Karnkowski l. c. Chr. Warsewicii, de optimo statu libertatis libri duo. pg. 88. „Qui (sc. nuntii) cum pro Comitibus veniunt, stipati famulorum turba, spumantibus equis et vestibus ornati preciosis; quos non spiritus pergerunt? quae et quanta sursum ac deorsum non mi-

pediretur, saepe 6 hebdomadam spatium componendis conventus generalis negotiis non sufficiebat⁹³⁾ itaque deinde id quaerebatur;

scent? quae facta infecta esse non cupiunt? et quantopere tum Regi, tum Senatorio adversantur ordini, ut per id commodis et honori velificentur suo. Quos item alii atque alii imitati, summam artem putant magistratui adversari“. Cf. *ibid.* pg. 93. — Cf. Chwalkowski, *Jus public.* pg. 198—200. Lengnich, l. c. lib. III, cp. 4. §. 7. coll. cum pg. 553.

⁹³⁾ Stan. Karnkowski l. c. Cf. *Votum slachcica polskiego pisane na seymiki i Seym roku Pańskiego 1606* (i. e. *Votum nobilis polonici conscriptum pro particularibus Conventibus et pro Comitibus anni 1606*) 12 pagg. numeris non distinctae form. 4. minor. (Bibl. Kornicensis). — Generaliter dicta quaedam hac de re invenias apud Chr. Warszewicium qui l. c. pg. 86. „Nam et illud, inquit, memorabile est, quod Andreas Tencinius, palatinus Sandomiriensis et aulae regiae mareschalcus, de vobis (sc. nuntiis) loquebatur: solebat is rheda seu vehiculo quodam in senectute vehi et simul atque Regiam Petricouiae“ (ibi enim ante Lublinensem unionem comitia generalia celebrari sunt solita) „ingrediebatur, nam jam convenissetis interrogabat, et demum dicebat: *Memento filioli mei, ex hoc legatorum municipalium conciliabulo perituri sumus omnes procul dubio aliquando. Neque id sane temere: eo enim singulis comitiis concitato cursu magis tenditis, ut hac libertate, quam defendere videri vultis, eo etiam citius nec opinantes excidatis...* Dlugossus, ut a moribus et consuetudinibus primum incipiam, novem dierum spatio Comitia Petricouiae celebrata instar prodigii commemorat: at nunc propter legatorum municipalium inter se verborum concertationes, et orationes propemodum infinitas, semestri tempore imo longius etiam celebrantur; et non tam res cum re, ratio cum ratione, argumentum cum argumento confertur, quam complentur omnia injuriosis vocibus et apertis clamoribus, ex quibus postea ad manus et id genus alia tetra devenitur“. pg. 90. „Quin et clamoribus atque altercationibus nunc de hac, nunc de illa re omnia complent, quam ad dicendas sententias perveniatur: et suo illi quem elegerint Marschalco plurimum facessunt negotii, turbatis sedandis et exulceratis utrinque animis mitigandis. Vix quippe loquitur aliquid unus, ut ejus sermone non offendatur alter; et non solum ad contumelias verborum sed et ad strepitum armorum veniatur“. — pg. 97: „Ac ut quidem unum illum, quod multis admirationem movet, silentio praeteream, Marschalcum vos eligere, non eo quo par est animo

utrum nuncii terrestres comitiis procrastinandis assentirent an conventus generalis, re infecta, discederet⁹⁴).

Jam ad tertium accedimus momentum, totius rei caput, quo comitiorum publicorum conclusio continetur. Comitiis a. 1633 habitis decretum est, id quod vel antea in usu fuerat, ut quinque dies ante illius temporis, quod VI hebdomadam conventui generali tribui leges volebant, exitum nuncii terrestres definitos in Senatum ad Regem deferrent „articulos“, qui, deinde a Rege Senatuque probati vim et auctoritatem decreti conventus generalis haberent. Monetur hoc decretum inprimis id spectasse, ne abhinc conventus generales convocati eventu carerent⁹⁵). Jam

conjunctionem omnes, nec certo modo aut ordine, nec qua interdum oportet celeritate. Quid? cum ad consultationes ipsas perventum est, quam multum temporis inaniter teritis, quam longis verborum circuitibus et anfractu in dicendis sententiis ulimini, et quam paulo momento, nunc in hanc, nunc in illam partem, patimini vos deferri, ut non nemo cogatur interdum suspicari, tempestatum illarum, quae in Comitiis excitantur, non modo ipsos vos, sed alios quoque atque haud scio an vobis majores exstare auctores. Sed vos interim videritis, quam hoc illi vestrae, cujus patroni et defensores videri vultis, expedierit libertati. Ut enim turbida aqua melior anguillarum piscatus etc. etc.“ cf. pg. 113.

⁹⁴) Stan. Karnkowski l. c. sectione V. coll. cum nuntiorum exhortationis sine. — Cf. Zwierciadło Rzeczypospolitey Polskiej. Na początku roku 1598 wystawione (i. e. Speculum Reipublicae Polonicae initio anni 1598 exposit.) 11 paginae numeris non signatae. Typis gothicis expressae form. 4 min. (Bibl. Korn.). Altera medicina, quam Pseudo-Medici aegrotanti Reipublicae porrigunt. — Cf. Warszewicium l. c. p. 82. 87. 208. Cf. St. Łubieński de motu civili p. 26. 55. — Piasteczki Chron. pg. 209. 210. 236. Praeterea cf. Conventus generalis a. 1548 celebrati Diarium ap. Niemcewicz, Zbiór pam. ed. Lips. T. I. pg. 25—42. Cf. Gio. Paulo Mucante, secretarium H. Gaetani, Cardinalis legati ap. Polonos in Gaetani legationis diario apud J. U. Niemcewicz Zbiór pam. Ed. Warsz. 1822. T. II. pg. 205.

⁹⁵) Vol. leg. III. Ann. 1663. Tit. Conclusia Seymowa. fol. 786: „Quoniam conventus generales quo optamus modo ut concludantur, non parum impediuntur sero advenientibus nunciis terrestribus ad nos et ad senatum, ita ut vel contra legem et contra morem conventus generales

si nemo, neque nuncii terrestres (quorum num unus hoc facere potuerit nolumus nunc quaerere), neque Senatus, neque Rex ulli eorum parti restitit, articuli legis loco habentur: contra ubi ulli articulo resistebatur, conventus generalis incassum est convocatus et „vermiculi omnem 6 hebdomadam laborem comedunt ⁹⁶⁾“.

Qua ex re clare intelligitur: intercessionem illam, seu malis liberum veto, quo conventus generalis acta disrumperentur, hoc postremo demum temporis momento adhiberi potuisse:

justo diutius celebrandi sint, decernimus, ut in posterum in unoquoque atque ordinario 6 hebdomadam conventu generali nuncii terrestres 5 dies ante conclusionem ad nos nostrosque consiliarios (ubi nunciorum terrestrium mareschallo nihil recitare licebit, nisi de quo inter nuncios terrestres convenerit) accedant eum ob finem, ut intra hos plenos quinque dies nobiscum et cum Senatu de Reipublicae rebus deliberent et nos conventum generalem concludere queamus, ne comitia publica aut limitanda aut procrastinanda sint“.

⁹⁶⁾ Votum nobilis Pol. pro comit. ann. 1606. (Bibl. Korn.) Ubi qua ratione nuncii terrestres crearentur et ad conventum generalem delegarentur exposuit: „Qualis est, inquit, hujus rei eventus? Nullus est. Nunciorum enim, qui sunt diversorum palatinatum terrestres clarissimi, exstruunt alii, alii exstructa diruunt! alii assentiunt! alii negant! quid, quod ad manus concurritur: propterea multorum quoque conventuum generalium conclusio quidem est nulla, Reipublicae vero gravis et periculosissima perturbatio et confusio. Articulos per 6 hebdomades prescribunt, sed ubi comitiorum finis adest, omnis illorum labor vermiculis corroditur“. — Warsewicius l. c. pg. 91: „Veniunt nempe municipales (ut plerumque fit) Legati in Regis et Senatus consessum inter se divisi furore et invidia incensi, odii et aemulatione pleni, nec quis eorum nomine orationem habere in illo theatro debeat, satis etiam praeparatus, et nunc hoc iste, nunc illud orditur alter, atque ex diversis angulis, quod ista non omnium scitu et consensione dicantur, aliquando acclamatur adeo, ut multis seu quandam praebeant ansam, de se sui que muneris praepostero usu obloquendi, imò et suspicandi etiam quod aut pecunia corrupti aut suaviloquentia persuasi, non earum, quarum esse debebant artium et partium cito sint affecti.“ Cf. ibid. p. 209. 214. Cf. Speculum Reip. Polon. ann. 1598. expos. l. c.

id quod non minus in universum Cromerianis illis relationibus confirmatur⁹⁷⁾.

⁹⁷⁾ Stan. Karnkowski l. c. Sect. 3. N. 5. „In conclusione omnia pendent ex concordia inter nuncios terrestres et senatum obtinente: sed concordiam illam tollunt fastus, superbia, temeritas, immoderati affectus, nimius sui amor“ etc. N. 13. „Inveniuntur terrarum nuntii vel tantae praesumptionis, nihil ut commune habere velint neque cum Regia Majestate, neque cum Consiliariis, sed ea obstinacia utantur, quasi eorum arbitrio stet et cadat Respublica“. Postremum addit: „Verum quidem est, Conclusionem penes Regiam Majestatem esse, sed non ex iudicio ejus proprio sed ex sententia omnium ordinum Regni i. e. Senatus et equestris ordinis illam esse debere. Jam evenire, ut in senatu et in nuntiorum conclavi varient sententiae et ut ordines scindantur in duas vel tres partes, — proinde tantam diversitatem et contrarietatem componendas et in unum redigendas esse hoc opus, hunc laborem esse. In ea potissimum re elucere debere prudentiam et dexteritatem Regis et Senatus, ut diversas inter se sententias mitigent et componant“. — Chwalkowski (Jus publ. ed. 2a Reg. 1684. pg. 199) non minus diserte, libero veto conventus generalis conclusionem tantum discindi posse contendit. Idem Warsewicius innuere videtur, qui pg. 87. „Nam aut infectis rebus, inquit, saepius discedetur, aut in extremum illud comitiorum tempus rejicientur omnia et tum demum praepropera festinatio cuncta complebit“ cf. pg. 208. Quum viri DD. et praeclarissimi et de scribenda rerum Polonicarum ratione meritissimi partim quam maxime diversas de hac re protulerint sententias, facere non potuimus, quin diversa deliberandi conventus generalis stadia statuere-mus; neque tamen ideo diversa in iis obtinuisse principia contenderimus. Multi enim VV. DD. in Poloniae comitiorum publicis deliberationibus, quarum decursum vulgo copiosius describi inveniunt, quam conclusionem (ubi id modo commemorari solet conventum generalem „feliciter aut infeliciter“ conclusum esse); multi igitur jam dudum ante Sicińscium in necessaria, ut ita dicam, unanimitate, quam non agnoscere non potuerunt, Liberi Veto principium animadvertere sibi videbantur: neque minus tamen illius auctorem Sicińscium esse volunt, quasi commonefacturi, et ipsum fuisse Sicińscium, qui plebem in montem sacrum duceret. (Th. Czacki, de Lith. et Pol. juribus (pol.) ed. Posn. T. I. pg. 270. nota 142. cf. pg. 294. nota 168. II.; cf. pg. 53. notas 187. 188. — Niemcewicz, Res gest. Sig. III. (pol.) T. I. p. 339. Val. Krasiniski, Historical sketch of the reform. etc. T. II. pg. 88. 89. N. A. de Sal-

Jam quaeritur, utrum unius nuncii terrestris liberò veto, antequam Siciński malo usus est exemplo, omnia conventus generalis acta ipsumque conventum discindi potuerit necne? — Olimur enim hac vulgata dicendi formula: „unius nuncii terrestris“, relative tantum intelligenda, quum in universa Polonorum historia, quamvis anxie quaerentes, ne unum quidem invenerimus conventum generalem, cujus deliberationes propter sceleratam unius nuncii terrestris contradictionem eventum deslitterentur — ne a. 1652 quidem hoc factum esse infra probabimus. Semper malevolorum hominum plures ejus rei auctores exstitisse invenimus, ita ut ad hanc perveniremus sententiam, quamvis Republ. institutis uni illius rei copia fieret, semper — vel post a. 1652 — plures majori sententiarum numero restitisse. Qui ut 2, 3, 4 etc. et alio tempore 10 aut 15 fuissent, nulla alia re nisi forte fortuna factum est. Publicum autem institutum ex generali, qui illi propositus est, fine non ex fortuna, seu prospera seu mala, judicandum est⁹⁸). Demonstrandum igitur

vandy, Histoire du roi Jean Sobieski et de la Pologne éd. Paris. 1844. p. 79 cf. p. 157. Joach. Lelewel, Considérat. §. 124). Quod igitur diversa deliberandi stadia separavimus, repugnantiam illam et nos sustulisse credimus et ex opinionum turba, quae diversissimae hoc de argumento sunt prolatae, haec unam certamque factisque probatam amplexos esse, quum ab historicis illam deliberandi unanimitatem necessariam antiquitus inveniri, sed eadem illa inde ab Siciński demum conventus generalis conclusionem impediri, posuimus. Priorem illam sententiam nonnullis factis, quibus alteram omnino carere fundamento demonstratur, a nobis comprobatum iri speramus; sed altera tantum quaestione hic imprimis occupamur.

(98) Vulgo Brauni et Konarski in V. DD. praeentibus haec tres periodi distinguuntur in delegatorum systemate apud Polonos exulto: prima, ubi penes majorem sententiarum, altera ubi penes minorem sententiarum numerum arbitrium erat, tertia, ubi ad omnia unanimitas erat necessaria. Quam sententiam tantum abest ut nos sequamur, ut ideo rejiciamus, quia cum omni repugnat delegatorum systematis historiae, minime confirmatur Polonorum historia.

nobis est, in Polonia delegandi systema non majorem sententiarum numerum sed omnium delegatorum concordiam spectasse. Quae in re quum perspexerimus, intra illum modum rationemque, quo conventus generalis mense a. 1652 Martio celebratus concluderetur et qui 19 conventus illi generales ante hunc habiti finirentur, nullum discrimen ab historico indagari posse non erit profecto propter quod vulgatam illam nunc de „libero veto“ sententiam amplectamur.

Quem enim ad finem societatis humanae res regendae et administrandae relinquuntur auctoritati cuidam, nisi ut ita et populi et reipublicae, certis quibusdam terminis circumscriptae commoda libertasque et promoveantur et ab omni defendantur injuria? Diversae, quibus haec salus promoveri possit, rationes sunt variae administrandi formae. Atque hac in re inprimis id spectandum est, ut organum quoddam indagetur, quo omnis res publica utens quid fieri sibi velit profiteri possit, ut potestas, populi viribus fulta, id expleat, — ut organum quoddam inveniatur, quo civitatis jura perscripta et sancita defendi possint ab injuria, qua fortasse tententur a summae potestatis custode. Majores igitur nostri rectissime contenderunt, ex utriusque illius potestatis concordia — regis et populi — reipublicae salutemet populi fortunam utique pendere⁹⁹⁾. — Organum, quo usi

⁹⁹⁾ Andreae Fricii Modreuii Commentariorum de Republica emendanda libri V. ed. Basil. 1554. lib. I. ep. 1. 2. — Stan. Orichovii Fidelis subditus sive de institutione regia pg. 42—50. — Laurentii Grimalii Goslicii de optimo Senatore libri duo. Venetiis. 1568. pg. 14sq. — Christoph. Warseuicci de optimo statu lib. Crac. 1598. pg. 153. 154. 158. „Expedi namque, ut sicuti quidem subjecti regi, sic et rex subjectis gubernandis suae erga eos respondeat functioni“. cf. pg. 224. — Joann. Innoc. Petricius, Princeps Polonus seu institutio primarii et in excelsa familia editi juvenis in Rep. Polona ad III. Vlad. Dominic. Ducem in Ostrog et Zaslav. Crac. 1633 pg. 79. (L. Opaliński), Polonia defensa contra Barclajum etc. Dant. 1648 pg. 107—110. — Andreas Maximil. Fredro, Castellan. Leopoliensis,

haec paretur concordia, voluerunt id esse delegatorum systema, secundum quod majoris civium numeri tantum commoda respicerentur, contra dissentientium obmutescerent. Et quamvis ita hic vel ille, majore numero oppressus, coeli vindictam non implorare non possit, sperant tamen se reipublicae diversissime ex pluribus partibus coortae sollertiam unanimem tuituros esse. Majores vero nostri, hac de re quum paullulum aliter sentirent et propter illam juris conditionem, qua contra summum reipublicae imperium utebantur, et propter historicam Polonici regni naturam, proclamarunt: „sententias non numerandas sed ponderandas esse“¹⁰⁰⁾.

Admodum memorabile mirumque — si clementia iudicii adhibenda est — illud argumentum, quo hanc sententiam firmarunt. Fuisse enim existimant „unum duosve nec plures aetate una, quorum magnis nominibus et virtuti quidquid recte factum sit, totaque salus Reipublicae debeatur“. Quin etiam nostrum saeculum, ut ait deinde Fredro, „licet passim praeclaros in Republica ferat viros, summorum tamen nominum vix unum duosve producit, qui reliquos auctoritate praeituri ad capessendam Republicam emoveant, quorum auctoritati omnes concedant, et magnae totum confidant virtuti. Si enim passim, si omnes aequaliter se magnos venditent? quid nisi pro aequali magnitudine accumulatio? pro diversitate conceptuum dissensus, pro diffidentia factio? ex

Scriptorum seu togae et belli notationum fragmenta; Dant, 1660 pg. 2, 2. pg. 43, 22. cf. ibid. Peristr. pg. 365.

¹⁰⁰⁾ Andr. Fr. Modreuii Comment. etc. pg. 46sq. — Laur. Grimalii Goslicii, de optimo senatore pg. 51b. — Andr. Rey a Naglowice discursus politici de Consilio, consiliario et concilio sive consultatione conscripti an. 1607. Hannoviae 1612. pg. 558 — 561. — Joau. Innoc. Petricius, Princeps Polonus etc. pg. 82. „In hoc (sc. deliberando) non tabella calculusue, sed vox et manifesta suffragia placere“. — Andr. Max. Fredro l. c. pg. 181 — 191. cp. V. Responsum in gratiam ejusdam sermonis privati, bonone fiat Reipublicae Polonae, ubi non pluralitas vocum, verum consensus ponderatur.

collisione animorum contentio, pro aequali potentia orientur motus et turbae? — „Require nunc quisquis es pluralitatem calculi in hac Republica, tolle consensum“ — hanc igitur vocem, ut pluralitati contrariam, in usu fuisse intelligimus — „et malis a pluralitate (id est factione aut temeritate) numerari, quam a prudentia et virtute ponderari voces, quidni multitudo pejorum praevalebit paucis melioribus? quidni totum infectum reperies, quod pauci boni publico bono promoturi, totum obtentum quidquid pro ambitu plures (quasi dixeris pro factione) factum velint? cum ut verbo dicam nec Jubere bonum, nec Vetare malum Pauci contra Plures possint“¹⁰¹⁾

Qua macchiavellistica argumentandi ratione ut nobis persuasum sit, praeclaram esse istam unanimitatem, quaerere nobis licebit: Ubi tandem inter hos „plerumque malos“ homines vir ea virtute, ea prudentia, ea arte conspicuus poterit inveniri, qui sententias quam maxime diversas quovis tempore recteque ponderet? Quibus Modreus respondens: „Fac vero, inquit, in rebus obscuris multitudinem sequendam esse: at in planis et perspectis an non magis bonitatem causae sequemur quam pluralitatem dicentium?“¹⁰²⁾. — Quo responso, — quamvis parum illae quas excitavimus dubitationes removeantur — non nihil in nostra disquisitione nos adjuvari intelliges: neque enim id expedire poteramus, quod nonnullarum rerum arbitrium, contra obtinentem unanimitatis legem et post et ante Siciuscium penes majorem numerum esset, e. g. judiciale conventus generalis munus nunquam poterat turbari libero veto et in judiciis major sententiarum numerus valebatur¹⁰³⁾; eodem

¹⁰¹⁾ Andr. Max. Fredro l. c. pg. 182. 183. 184. his copiosius tantum argumenta et exempla exponuntur, quibus Modreus l. c. lib. I. ep. XI. §. 7. hanc ad sententiam confirmandam usus est anno 1551. Cf. Gaspar Siemek, Lacon sive Civis bonus cp. IV.

¹⁰²⁾ l. c.

¹⁰³⁾ Chwalkowski, Jus publ. pg. 199. 200. Lengnich l. c. pg. 360.

numero creabantur nuncii terrestres¹⁰⁴⁾ et nuntiorum terrestrium mareschallus¹⁰⁵⁾; idem principium in Senatorum consensibus oblinuisse videtur¹⁰⁶⁾.

Quae omnia num fuerunt „res obscurae“? Et quid referendum est inter „res planas et perspectas“? Posteriore aëvo huc pertinebant omnes „materiae status“ et huc omnia illa decreta referenda esse videntur, quae crescente nuntiorum terrestrium potestate lata sunt (inprimis illud a. 1505 promulgatum). Sed omnis haec materia pro ut nunc disquisitiones his de rebus institutae sese habent, quum accuratius adhuc examinanda sit, nihil ut de ea relinquatur scrupuli, — hoc in praesenti omittimus, satis sit, nos intellexisse, jam dudum consuesse nostros majores in rebus aliis aliter agere: id quod extra omnem positum esse volumus dubitationem.

Sequebatur hoc autem omnino ex illa, qua terrarum nuncii utebantur juris conditione. Magis enim prohibentium, custodientium¹⁰⁷⁾ sustinent personas, ut quum vel interea hujus vel illius

¹⁰⁴⁾ Vol. leg. III, An. 1631. fol. 697 cf. Discorso dell' interregno di Polonia an. 1587 di Horatio Spanorchii apud Phil. Honorium (Praxis prud. polit. pg. 514.

¹⁰⁵⁾ Lengnich l. c. pg. 330. §. 514.

¹⁰⁶⁾ Hoc prorsus certum non est. Modreuius l. c. „In Senatus consultis ferendis, inquit, optimum fuerit sententias non tam numerare quam ponderare. Ille enim mos numerandi sententias etsi fere receptus est, tamen quam saepe sit perniciosus facile ostendi potest.“ Contra quae pugnare videntur, quae sunt apud Stan. Lubieński, de motu civili pg. 52: „In sententiis Senatorum, ait, ubi discordes fuerint, conciliandis, Regiam Mem ea uti moderatione, ut non ante vel in priuatorum cognoscendis, judicandisque causis decretum ferri decernat, quam dissentientium sententias, iteratis earum rogationibus similes et conformes efficiat.“ cf. Lengnich l. c. pg. 45. 46. 387.

¹⁰⁷⁾ Mart. Cromeri Polonia etc. l. c. p. 521: „Deinde vero (ejus causas affert „incuriam principum“ et consiliariorum conniventiam“) „ad alias etiam consultationes de republica accedere coeperunt, non ut consilarii, sed ut monitores principis atque consiliariorum et custodes liber-

rei auctores extiterint — justo gravius momentum ibi vulgo iis tribui censemus — ne hanc quidem exuant naturam. Ex rerum fontibus, quos legimus, id patere, modo illos recte intellexerimus, nobis videtur: summam nuntiorum terrestrium potentiam non tam redundasse ex certaminibus cum regia dignitate, quam cum Senatu initis, quo quum reges niterentur, hi ipsi a nunciis audacibus petebantur¹⁰⁸). Nuncii terrestres non tam di-

tatis et praerogativarum nobilitatis ac legum publicarum⁶. — Modreuius l. c. p. 39: „Apud Polonos ultra Regem et Senatum, plurimum valet equester ordo, a quo mitti solent ex singulis municipiis certi legati, qui etsi jus dicendae sententiae non habent, tamen de multis rebus necessariis referunt ad Senatum. Decreta etiam omnia examinant, ut si quod Reipubl. noxium esse videatur, huic intercedant. Itaque nullae leges apud nos, nisi legatis municipiorum subscribentibus, rectae habentur.“ Conferens igitur illos cum tribunis plebis Romanis nihil discriminis(?) indagare potest, post quae: „Vidimus ipsi, inquit, multa praeclara esse constituta apud nos, ordine equestri approbante; multa noxia rejecta, eo improbante. Quod utinam perpetuum esset. Sed aliquando visi sunt plus nimium ordinis sui amantes; nec tam Remp. curare, quam libertates suas tueri. . . Itaque videant legati ne per eos Respubl. maximum aliquando detrimentum capiat, cum ordinis sui et dedecore et summa calamitate⁶. Cf. Laur. Grim. Goslicii de optimo Senatore. Venet. 1568. pg. 14. Warsewicium l. c. p. 82. 93. Joannes Januszowski (Statuta jura et constit. Regni etc. (pol.) Krak. 1600. in praefatione ad lectorem) hanc de statu regni Poloniae pronunciat sententiam: „Legislatores, custodes Reipublicae nostrae non alii quam Rex, Senatus et Equester ordo. Ex his enim tribus statibus et ordinibus tota forma Reipublicae constat, sine his nihil decernitur. Non aliquis horum aliquid sine alterius consensu. Unus est, qui proponit (sc. Rex), alter, qui dignoscit (sc. Senatus), tertius, qui utrosque custodit“.

¹⁰⁸) Mart. Cromeri de rebus Polonor. lib. XXVII. ed. Colon. pg. 399. 400. „Potestas vero eorum (sc. nuntiorum) instar tribunitiae apud Romanos vel Ephorum apud Lacedaemonios esse coepit. Nam tantum in nostra tempestate arrogare sibi coeperunt, ut nullam rem majorem injussu suo decerni a Rege et senatu aut fieri vellent, et in Senatum atque adeo in Regem ipsum censuram grandi supercilio sibi sumerent“ etc. Justissime hac de re judicavit Horatio Spanorchi (Discorso dell'

recte Regis imperium quam illum impugnabant locum, quem viri summis dignitatibus praediti, Senatores in singulis vi obtinebant provinciis. Viri summi functi muneribus fuerunt, qui antea quum particularibus conventibus praefuissent ibique vectigalia ordinassent, — potestate fortasse abusi — ordinem equestrem utpote bellicosissimum, ad vitam politicam excitarent¹⁰⁹). Jam ordo equester quum nollet in particularibus conventibus particularia sibi imponi vectigalia, conventus expetebat generalis deliberationem, ita ut ex diversis particularibus conventibus congregatis prima existerent comitia, quae a. 1468 convenerunt¹¹⁰). Jam omnis deliberandi eventus in eo positus erat, ut cum his ordinis equestris delegatis prudenter ageretur: aucta est difficultas, quum legum ferendarum jus, quo usque ad illud tempus senatus cum Rege fuerat usus, ad terrarum nuncios esset delatum (1505): crescebat difficultas cum crescente nunciorum terrestrium auctoritate¹¹¹).

interregno di Polon. an. 1587 (apud Philipp. Honorium, Praxis prudentiae polit. etc. 1610. p. 514)., che si chiamano Nuntii terrestri, i quali poi interuengono con gli altri d'altre prouincie nel luogo deputato dal Rè, da farsi le comitie generali, i quali unti così fanno un corpo chiamato ordine Equestre inferiore al primo (sc. Senatorio) di dignità, ma eguale d'auttorità, e questo però suole sempre contraddire all' opinione e approbatione dell' ordine Senatorio; la causa di questa discordia nasce, che l'ordine Senatorio hà per fine di compiacere alla volontà del Rè, con la quale sempre s'accorda come quelli che sono premiati ed honorati dal proprio Rè, e l'ordine Equestre hà per fine il proprio ben publico, dandosi à credere, che se non oiano, non possono mantenere la lor libertà, ed impedire la sospitione della Tirannia, si che resistono quanto piu possono all' ordine Senatorio“.

¹⁰⁹) Joach. Lelewel, Considérations §. 30.

¹¹⁰) I. Dlugoss ed. Lips. T. II. lib. XIII. p. 403. 404. 436. cf. Benthkowski, Vicissit. l. c. p. 41.

¹¹¹) Warszewicius l. c. p. 93: „Et quisquam dubitabit tam obstinatos et vecordes vestrum reperiri multos ut quantumvis licet rationibus vincantur, et manifesta pericula ex discordia ipsis (sc. nuntiis)

Jam nuncii terrestres initio comitiis publicis non deliberaturi intererant¹¹²⁾, sed prohibitori, quominus Rex Senatusve quid auderent, quo affici possit illa juris publici conditio, qua cives contra summum utebantur imperium, propulsuri pericula, quaecunque aequae legibusque sancitae civium conditioni exoriri possent ex utraque illa, fere inter se aequa dignitate¹¹³⁾. Non ubique opus erat his custodibus: qua ex re facile explicantur, quas modo commemoravimus, *ἀνωμαλῆαι*, nullo negotio, si accuratius quaesiveris, sine dubio augendae.

ostendantur, eo apud ipsos proficias nec tantillum. Quid ita inquires? quia ut foetus, sic pro se quisque opiniones amat et miratur suas, neque Palatinos aut Castellanos municipiorum suorum ita observat, ut pro re et occasione eorum auctoritati et sententiae aliquid tribuere, et sua velit discedere. Verum (quod vulgo dicunt) ad fratres, hoc autem est ad nobilitatem Palatinatus mox provocant sui, quod est omnium ineptissimum. Quo nomine Sigismundus Augustus quendam municipalem unum legatum Petricoviae objurgaverat. Quid tu, inquit, remducis et latebram ineptiis tuis quaeris? Provocas ad fratres, quorum tu ipse ductor et seductor es: apage! et cum his, quos hic in comitatu habes colloquare, nec nos teneas longa expectatione suspensos, quos natos in aula, cum tu adhuc esses in caula, recordare. Desiit Regi illud miser et illis ultro citroque ferendis controversiis finis tandem fuit factus. — cf. ibid. p. 82: „Unde et ille Petrus Tomicius . . . Regni Poloniae sub Sigismundo I. Cancellarius . . . gravissime aliquando in eos est invectus, quod de mittendis ad externos legatis eorumque mandatis volebant sibi nescio quam inquirendi contra eum usurpare potestatem. Quid, inquit, aratores quam oratores mihi potius appellandi, in Cancellariorum munera vos ingeritis? et cur, quod non amplius, quam ne quid in Rep. sine vobis decernatur novi, vestrae se extendant partes, non meministis?“

¹¹²⁾ Modreuius l. c. p. 39, vide supra notam 107.

¹¹³⁾ Ibid. Cromer, de reb. Pol. lib. XXVII. p. 400. Stan. Karnkowski, Exorbitancye cp. VII. No. 3. — Warseuicius l. c. p. 213. „Postremo, ut qui jure communi non contenti, vel aequabilitatem illam civium aspernati temere fuerint, hujus publici consilii metu in officio contineantur; et si quam functionis suae habuerint, reddant pu-

Tale igitur est nunciorum terrestrium munus, talem finem putamus propositum fuisse Polonico delegatorum systemati, quod eo laborat vitio, quod ab una parte naturalis, ab altera legalis potestatum distributio sibi non respondebant. Potestas, penes quam legum ferendarum jus, prorsus popularis est et summum fere valet; potestas mandata exsequens partim aristocratica et debilis est. Posteriores igitur plerumque consilii inopem videmus, nisi si cui egregio viro reipublicae gubernacula commissa fuerint (e. g. Bathorio), eandem in exsequenda legis voluntate laborare quomodo illam ludat, exceptiones postulare, ut ad postremum illi ipsi ordo equester adversetur¹¹⁴). Hanc ob causam Polonicum delegandi systema omni illa sese excolendi vi orbatum esse videtur, qua Britannico optimus fuit eventus. Utraque potestas quam gravissime inter se de rerum summa continuo pugnantem vires consumunt ita, ut Rex Senatusque nobilium ordini licentiam crimini vertat; hi contra non modo Senatum, sed etiam Regem sub suam redigere potestatem studeant, exprobrantes priori, obstare ipsum aequae civium libertati, peregrinorum dicto audientem esse, cum externis principibus contra civium libertatem conjurasse. — Eandem semper invenies ideam in omnibus,

blice coram omnibus ordinibus rationem . . . Cujus rei causa publicos istos Conventus constitutos antiquitus esse nemo dubitaverit. — Idem Fredronis, rerum scriptoris doctissimi, animo observatum esse mihi videtur, dicenti (l. c. p. 186. 187.); „Imo (dico adhuc) in argumentum pluralitatis, oppones Venetorum Rempublicam, nec tamen ideo Vetandi libertatem circa integritatem et arcanum status nostri prudenter tolles. Nam vere ubicunque gentium pluralitas calculi praevalet, non ex eo succedit, quasi illi plures habeantur boni, quam apud nos, et sanioris iudicii, verum quia abest inibi animorum et libertatis corruptor(!) nam seu Monarchum dicas, non est quid ille in suo regno circa libertatem corrumpat, neque adest, cur pejorum civium (contra pauciores) utatur pluralitate omnia pro libitu agens“.

¹¹⁴) Warszewicius l. c. p. 85. 86.

quas oppositio nunciorum terrestrium paulo acrius gessit, rebus, quae nostrae sunt memoriae proditae. Quae idea vim addit exprobrationibus illis, quibus ordo equester, ad bellum anno 1537 ap. Leopolim congregatus, Senatores afficit¹¹⁵⁾, invenitur in Bathorii et Sigismundi III. eligendorum actibus, ubi Zamoscium vel majus ei pondus conciliavit¹¹⁶⁾; illa Sigismundum III. in populi iudicium vocat, neque aut contra regem aut contra Senatum graves proferre querellas aut acerba crimina dubitat¹¹⁷⁾; illa animos addit turbis (Rokosz) a Zebrzydowski motis¹¹⁸⁾; illa est, qui Vladislaum IV. cogat, ut conscriptos dimittat milites¹¹⁹⁾; illa Franco-Gallicae factionis consilia clandestina, Joanne Casimiro regnante, eludit, quemadmodum Austriacas et Sigismundi III. machinationes fefellerat: utraque hac occasione Senatores utpote culpa affines sine ulla dubitatione proditorum maculis adpersi sunt. — Prima actio id effecit, ut Senatus, qua usque ad illud tempus utebatur, prorsus privaretur auctoritate populoque invisus redderetur; utraque, quae insecuta est, Austriae invidia ejusque sectatorum incensa, oppositioni popularitatem conciliabant, et Zamoscium ordinis equestris tribunum constituebant, qui honore quidem regiae potestati habito, Regem perpetuo officiorum commonefaceret iisque strictius ut sufficeret, cum severitate

¹¹⁵⁾ Stan. Orichovii Annales. Annalis Vius, ed. Daat. 1643. pg. 131—212. cf. ibid. (Gorski) Vita Petri Kmitae p. 225. cp. De motu gravi propter Cancellariatum.

¹¹⁶⁾ Stan. Lubieński, de motu civili. pg. 25. 26. 33.

¹¹⁷⁾ Piasecki, Chron. pg. 99. 100. cf. Niemcewicz, Res gestae Sigism. III. (pol.) T. I. pg. 150sqq.

¹¹⁸⁾ Stan. Lubieński, de motu civili. Piasecki l. c. pg. 228. 236. Niemcewicz l. c. T. II. pg. 1sqq. Clarissima haec in luce ponit Rychcicki [Petrus Skarga ejusque saeculum] (pol.) Krak. 1851. T. II. pg. 382sqq].

¹¹⁹⁾ Piasecki l. c. 507. 508. Relatio Joannis Tiepolo an. 1647 apud J. U. Niemcewicz, Zbiór pam. etc. T. V. pg. 24.

quadam postularet; quarta quintaque actio regiam dignitatem exuebant auctoritate; sexta denique regis haud sibi constantis debilitate abusa est ad diversissimarum partium studia familiarumque commoda promovenda.

Quo modo igitur ille, quem anno 1652 exstitisse legimus, oppositionis actus differt ab illis, quos superiore commemoravimus loco, ut in Poloniae conventuum generalium historiis ut prorsus singularis quidam existimari soleat? Eo differre ab omnibus partibus responderi nobis jamjam audimus, quod unus nuncius terrester comitorum deliberationem rupit: id quod antea factum non erat.

Quod utrum recte an falso sit dictum, ut dijudicemus, jam primum res ipsas, quales ab historicis aequalibus ad nostram sunt perlatae memoriae, expediendae sunt.

Atque in hujus quaestionis prooemio jam profiteri possumus, de his comitiis longe plurium, quam de ullis aliis, auctorum relationibus nos uti potuisse. Vesp. Kochowius, Stan. Albr. Radziwillus¹²⁰), qui huic intererat conventui, quorumque ille fuit nuncius terrester,

¹²⁰) Summopere dolendum est: Radziwilliana relatione nos uti non potuisse integra. Polonica enim versio libri, cujus index est hic: „Memoriale rer. gestar. in Polonia a morte Sigism. II. usque ad a. 1653 auct. Stan. Albr. Radziwill, Canc. M. Duc. Lith.“, quam ab Hieron. Flor. Radziwill an. 1731 curatam Edw. Raczynski a. 1839. Posnaniae hoc titulo: Pamiętniki Albr. Radziwilla etc. 2 Tomm. publici juris fecerat, parum accurata neque integra est. Leopoli in Ossolińskiana bibliotheca sub nn. CXV. et CXVI. Latinum asservatur exemplum. Cujus de relationis et versionis ratione Batowski (Pamiętnik literacki pismo tygod. ed Dr. Schlachtowski. Leopol. 1852. No. V. p. 102. not. 1.) plenum dicit addendorum et corrigendorum librum opus esse; ut Polonica Raczynskii editio aequet ἀρχέτυπον. Działyński, Palat. Ill., quum et ipse Lat. MS. exemplum et praeterea aliud Radziwilli opus: „Historia Polonici Regni ab 1588 ad 1653“, quamvis illud de Joannis Casimiri regno, quatenus hoc ad illud tempus pertinet, haud admodum copiosum, possideat, hoc altero MS^o nobis licuit uti, eoque libentius usi sumus, quia in illa quaestione haud correctam Polonicam Raczynskii editionem unam nolimus sequi.

hic Senator, acta satis copiose litteris demandarunt. Praeterea Titi Działyński, Palatinidis Ill., liberalitati, laudibus meis qualibuscunque longe majori, id me debere gratissimo confiteor animo, quod Temberskianae relationis, utraque priore illa non minus copiosae, uti licuit Cod. MS. Kornicensi. Breviora sunt quae a Rudawskio referuntur, et a Pastorio, Grondskio aliisque litterarum tantum plerumque commercio commemorantur neque ea nisi exigua.

Quibus ex omnibus haec efficitur imago: Inter Poloniae ordinem equestrem et Cosacos tunc atrocissimae intercedebant pugnae. Gravissimis cladibus jam affectus ordo equester id tandem effecit, post triam dierum ad Beresteczko (Junio mense a. 1651 exeunte) fortissima certamina, ut plebem in dies magis magisque valentem paullisper reprimeret, sed elatis propter hanc victoriam animis quum ibi jam victoriam se reportasse splendidam opinaretur, domum redire gestiebat, bellum posthac gerendum relinquens militiae ordinari ¹²¹⁾. Joannes Casimirus, quo debili erat animo, non praefracte obstitit desiderio nobilitatis, et pacandae Ukrainae negotio Potockio et Kalinowskio relicto, „aeger et offensus“ ¹²²⁾ cum exercitu universo in Poloniam rediit. Uterque quidem dux Chmielnicum adeo premebant, ut hic IV Kall. Octobr. 1651 ad foedus Białocerkwiae suo incommodo in-eundum cogere ¹²³⁾, insequente tempore sibi suisque rebus modo consulturus. Egit igitur cum Turcis, Tartaris, Trans-

¹²¹⁾ Pastorius, de bello Scyth. Cosac. p. 154—200. Kochowski, Climact. I. p. 248—268. Grondski, Hist. belli Cos. Pol. p. 145—160.

¹²²⁾ V. epistolam apud Ambr. Grabowski, Starożytnosci pol. T. I. pg. 332. cf. Koch. 269. cf. Rudawski pg. 99.

¹²³⁾ Pastorius l. c. pg. 260—263. Pacis condiciones, quas P. Chévalier, Hist. de la guerre de Cosaques etc. Par. 1663 p. 209sq. litteris mandavit, non omnes eo nomine fuerunt insigniendae. Omnia quae inter deliberationes a Polonis proposita erant, habita ab eo esse pacis condiciones patet e Rudawskio pg. 83—91.

sylvaniae principe, qua re Poloni quam maxime offensi quidem sunt ¹²⁴), sed unde maximum ipsis periculum exorturum esset nesciebant. Chmielnickius enim id spectabat ut plebejæ provinciarum Russiae minoris parti haud ultimum certaminis relinqueretur discrimen ¹²⁵).

Quid multa? quum novum instare bellum omnes praeviderent animis, novus conventus generalis habendus erat, quam ob rem multi gravissime conquesti sunt, regem victoria, ad Beresteczko reportata juste non usum rediisse in Poloniam. — Taetrius aliud erat crimen, in quod rex incurrisse videtur. Hieron. Radziejowski, vicecancellarius loquax et pugnax, fortunam domesticam a rege turbatam conquestus, gravissimam cum uxore rixam habuit, ut haec, divortium quum postulasset, interea palatium, in quo Radziejowski habitabat a fratre et militibus occupari juberet. Contra Radziejowski rem proelio in ipso Regni capite decidere non dubitavit, ita ut utraeque partes in criminis laesae Majestatis periculum incurrerent. Et certe Coronae instigator exstitit accusator: Radziejowski a mareschalcali judicio ut infamis bonis privatus et in perpetuum Regno ejectus est; altera pars in custodiam data est ¹²⁶). Quod iudicium populi opinionibus comprobatum non est, immo partium studio id factum esse quum putaret, omnino Aulæ Mareschallo (Lubomirscius enim, Supr. Regni Mareschallus, forte fortuna profectus erat) ullum in ministrum illustr. jus esse negavit. Radziejowski ipse, adjutus hac in re a Tribunali Petricoviensi et contestatus sibi inferri vim ab aulæ partibus, ordini equestri

¹²⁴) Rudawski p. 99. Kochowski l. c. p. 303sqq.

¹²⁵) Vide universales, quas dedit Chmielnickius ad rusticos, litteras ap. Grabowskium, Ojczyste spominki T. II, p. 131.

¹²⁶) Radziwill. ed. Racz. II. pg. 450—458. Kochowski l. c. pg. 304. Rudawski pg. 94—96. cf. ibid. 108. 114. cf. Lengnich Polnische Bibliothek. in nota ad citat. loc. Kochowski Annalium.

persuadere studuit, in ipsius persona agi de universi ordinis equestris privilegiis ¹²⁷⁾.

Omnes nova a Cosacis imminencia pericula metuere, indignari quam maxime aulae res, quum Joannes Casimirus primis a. 1652 diebus conventum generalem convocaret, ut cum ordinibus ageret de rebus ad defendendum regnum necessariis. Hoc praecipue comitiis illis propositum fuit; qui ceteri a Rege in medium allati sunt articuli (vectigalia, res monetaria, judicia etc.) eatenus gravioris erant momenti, quatenus iis invidia, qua rex, ejus aula, consiliarii flagrabant, in vulgus augetur. Comitiis VII a. Kall. Febr. celebrari coeptis Maximilianus Fredro, qui quid de Libero Veto senserit jam supra exposuimus, nunciorum terrestrium conclavi mareschallus praefectus est. Rex cum Senatu quum solennes judiciorum comitialium consessus auspicatorum esset, „rebus remissis a foro tribunalitio“, ad quod nuncii terrestres ut delegatos mitterent invitabantur, „mota est controversia, asserentibus nonnullis, primo Regem criminales debere discernere causas“: et deinde nuncii terrestres postulabant: inquireretur causa „quod victoria Berestecensis non fuerit prosecuta, hostis dimissus et iterum bellum recruduerit“. „Director (i. e. Mareschallus nunciorum terrestrium) obsecrat ut principale punctum agitur: nimirum de securitate Reipublicae prospicienda; peroranti pro patria directori negatae aures, privatum solum modo cujusque spectabatur commodum, ut quondam accidit temporibus Sigismundi III. Vicecancellario Regni agente Tylicio ¹²⁸⁾“. De quibus Radziwillius postquam satis copiose egit et conventus generalis, Sigismundo III. regnante, a. 1605 habiti et a. 1652 celebrati exitum inter se quidem comparavit,

¹²⁷⁾ Radziwill Histor. MS. bibl. Korn. fol. 339.

¹²⁸⁾ Hoc pertinet ad comitia a. 1605 rupta. cf. Stan. Łubieński, Opera posth. p. 26. cf. Niemcewicz, Sig. III. T. I. pg. 399. ubi diserte monet, se in hujus conventus generalis Diario jam intelligere „illud fatale Liberum veto“.

sed nullum discrimen commemoravit¹²⁹⁾, narrat, a nunciis terrestribus deinde quaestionem „de aucta moneta per rescriptionem a thesaurario factam“ esse motam et celeriter compositam. Praeterea nuncii terrestres causam de mutato calculo monetae conjectando non assecuti aulae immodicam exprobrabant prodigiam¹³⁰⁾. Expeditionem Berestecensem aliter Regis asseclae defendere non potuerunt, nisi ut mire pii dicerent, quemadmodum divinum numen nuper ordinem equestrem a Cosacis victoribus defendisset, ita Cosacos nunc eodem numine defensos esse¹³¹⁾. — Gravissime deinde conquestum est leges et neglectas et violenter migratas a Rege ipso, qui vel infamen latronem, usum illum litteris salvi conductus, nuncium terrestrem ad comitia generalia delegari fecisset¹³²⁾. Quae omnia crimina non minus afficiebant senatores, talia fieri passos: Radziwiłłus ipse: „ubi ego quoque, ait, indirecte petebar“. — Jam perlatae sunt litterae a Radziejowio ad nuncios terrestres congregatos, liberi ejus, priore matrimonio procreati, supplicabant, ut a patre injuria averteretur. Aulae asseclae Radziejowii litteras publice recitari velabant quidem, sed gravissime altercati id quum concessissent, terrarum nuncii a Rege Senatuque petebant, ut in honores restitueretur Radziejowius Vicecancellarius: quin unus e nunciis — quem Zamoscium fuisse Temberskius nobis prodidit—ob liberam nimis vocem Regis incurrit offensam, inter alia proferens: „Apud me non rex, sed lex imperat“! ita ut Radziwiłłio libenter credamus: „acuta ista verba regi visa“. — Magni Moscoviae Ducis legati deinde in Senatum admissi postulabant, ut qui scriptis Magni Ducis titulos obtreclassent punirentur;

¹²⁹⁾ Radziwiłł, MS. fol. 340. Refert ille, an. 1605 comitia partium studiis soluta esse, deinde: „quod in his, inquit, re ipsa praestitum, comitiis ob idem motivum optato eventu carentibus“.

¹³⁰⁾ Ibid. fol. 341.

¹³¹⁾ Radziwiłł. MS. l. c. Rudawski contra refert pg. 99. hujus rei culpam regem in ordinem equestrem transtulisse.

¹³²⁾ Radziwiłł MS. bibl. Korn. fol. 341. ed. Rac. II. pg. 462. Kochowski. l. c. Temberski fol. 259. Bibl. Korn.

ultimo die, quum 6 hebdomadam finis adesset, ea res adhibitis nunciis terrestribus composita est.

Ita legitimo temporis spatio praeterlapso, propter quae comitia convocata erant, defendendi consilia inita non erant. Temberscius quidem versus conventus generalis finem Regi ab ordinibus factam esse potestatem dicit universi populi ad arma vocandi¹³³); sed apud alios rerum scriptores altum hac de re silentium. Ne multa, ex omnibus relationibus certe colligas: hunc ad finem conventum generalem procrastinandum fuisse; quod utrum nuncii terrarum probaturi essent quaerebatur an infecta re domum omnibus redeundum esset. Illud, quo erat regnum statu, si quando unquam, nunc quam maxime postulabatur: Chmielnickius jam rursus auctus est viribus, Moschi propter fidem multis cum Cosacis vinculis conjuncti, non erant spectatores admodum fidi¹³⁴); a Suecis, propter diuturnas quas cum Wasis habuerant, controversias, haud parum metuebant; milites pecuniam debitam postulabant¹³⁵); vectigalia, quamvis jam descripta, a conventu generali nondum rata habita, excitabant hominum querellas, quod non essent aequo jure imposita¹³⁶). — Quamquam vero pericula quam maxima imminebant, verisimile non erat, fore ut per nuncios terrestres diutius comitia celebrari liceret; huc aliae et partium et stirpium accedebant contentiones. — Joannes Radzwillus, Lithuanicus dux, idem Calvinicae fidei sectator, qui 4 annis post cum Suecia contra Joannem Casimirum coortus totam fere Lithuaniam ad Caroli Gustavi signa pertraxit¹³⁷); Lucas Opaliński, Posnaniensis

¹³³) Bibl. Korn. fol. 267.

¹³⁴) Radziwill ed. Racz. II. pg. 468.

¹³⁵) Ibid.

¹³⁶) Radziwill, MS. bibl. Korn. fol. 342. Temberski MS. fol. 266. — Kochowski Clim. I. pg. 310 — 313.

¹³⁷) Cf. Rudawski pg. 207 — 211. Temberski fol. 267: „Porro negotium comitorum protractum est usque ad Dominicam Passionis magna discordia nuntiorum terrestrium tam a partibus Radziejowii, quam a partibus Radziwilli, Lithuanici Calvinistae, ambitiosi, superbi, super-

Palatinus, qui hoc ipso tempore librum „de emendandis moribus et regni principiis in Polonia“ ediderat, Radziejovii partes secutus, Regem impugnavit, biennio post multo magis idem de Suecis quam Radziwillus meritus¹³⁸⁾; omnes Radziejovii asseclae, quorum partibus Rex cedere noluerat; omnes hi constituebant haud parvam oppositionem, ita ut quam facillime fieri posset, ut esset quisquam qui oppositionem hanc manifestam redderet: et proh dolor! Sicińskius „quod lege praescriptum tempus absolvendis Comitibus effluxisset prolongationi actus intercedens, praeceptis conclave Senatorio abierat“¹³⁹⁾, omnesque 6 hebdomadam labores elusit. Omnem hujus formulae, qua utebatur oppositio, vim a Sicińscio uno Upitensi nuncio terrestri quasi ferri voluerunt: quod quo jure factum sit, non possumus nos definire, ne dicam mathematicorum, quibus alii usi sunt, exactas artes imitari; Rudawscius enim et Temberscius comitia rupta Radziwillo exprobrant¹⁴⁰⁾, ita tantum inter se differentes, ut Rudawscius a Radziwillo addat, Opalińskio instigante, contradictorem subornatum esse¹⁴¹⁾. Eandem sententiam Kochowius quoque sequi videtur, nova, ut adhuc creditur, hac re quamvis ipse adesset, tantopere non affectus, ut ei contestantis „cognomen incompertum“ esset; culpam comitiorum ruptorum universam in Lithuanos conferens stomachatur protestationem pecuniae deberi („fama fuit“), et multa queritur, Polonos jam haud eadem, qua antea, concordia patriae-

stitiosi. Is enim submiserat ejusdem sectae nefarios consiliarios, qui consilia ad bonum finem directa destruerent, inverterent, atque ad privata sua commoda bonum publicum perimentia applicarent“. MS. bibl. Korn.

¹³⁸⁾ Kochowski Clim. II. 85. 86. Rudawski pg. 100.

¹³⁹⁾ Kochowski Clim. I. pg. 313.

¹⁴⁰⁾ Vide supra not. 137.

¹⁴¹⁾ Rudawski pg. 100: „Interea Joannes dux Radziwillus, qui tunc praesens Varsoviae aderat, privatam ulturus, ut solent proceres, publice injuriam, vel certe e palatini Posnaniensis“ (sc. Opalinski) „voto, comitia per quendam familiarem Lithuanum contradictorem solvit, eludens Polonorum immensos sumptus“.

que amore uti: inde fieri, ut „libertas“ in „licentiam“ vertatur¹⁴²⁾. Rei novae, quae hoc actu introducatur, nullum vestigium; num. autem tempus praeteritum cum praesente vere recteque ab illo collatum fuisset, Kochowius non omni ex parte probare posset. Veteres plerumque talibus delectantur sententiis! — Temberski haec modo de comitorum conclusione affert: „Qualis autem fuerit terminatio comitorum? facile ex perduto tanto tempore colligere licet“. — Stan. Albr. Radziwiłł, Lithuaniae cancellarius, scriptor praeclarissimus, sed a partium studio hoc loco haud immunis, Sicińscium „privata praedominante utilitate“ refert prolongationi conventus generalis intercessisse; sed facere non potest quin addat: „suo an alterius instinctu“. Quae intercessionis a Radziwiłłio memorantur caussae, non tam ex ipsius persona, quam videretur, profectae erant; ad totius enim palatinatus contributiones pertinebant, cujus Sicińscius cum duobus alteris erat delegatus¹⁴³⁾. Lengnich rectissimas ex aliquo documento intercessionis caussas exhibet, quum dicit Sicińscium suo jure intercessione se uti putasse: „weil die Heimgelassenen ihm und seine Mitgeschickten bei ihrer Ehre, Treue und Gewissen verpflichtet in keine Verlaengerung des Reichstages zu willigen und ein gewisses Commissorial-Decret zu behaupten“¹⁴⁴⁾. Quas intercedendi caussas rectissime a Lengnich, V. D., allatas esse quum diximus, hoc ita dictum esse volumus generaliter,

¹⁴²⁾ Kochowski *Clim.* I. pg. 313. 314.

¹⁴³⁾ Albr. Stan. Radziwiłł, *Histor. MS. bibl. Korn.* fol. 342. „Comitia ad sequentem diem prolongata infausto sidere, nam Sicińscius, nuntius ex Upitensi districtu, (privata praedominante utilitate, suo an alterius instinctu, cum ei decretum non arrisisset comitiale, quo a contributione fumalium oeconomiae Szaulensis eximebatur, cum jam persolvisset; nobilitas vero agrarias contributiones loco fumalium constituisset, ut ipsae (ipsa?) modo jam expenderent (expenderet?) summam pecuniae... rex decretum tulit pro oeconomia (nuntius illius districtus odium et vindictam spirans solvere comitia intendebat, atque sic facta protestatione abiit“.

¹⁴⁴⁾ Lengnich, *Gesch. der preuss. Lande königl. poln. Antheils T. VII.* p. 89.

ut Sicińscii intercessio, cujus delegali quoque cum ipso participes esse videntur, („ihm und seine Mitgeschickten“) niteretur rebus mandatis ab electoribus. Caussarum specialium ut posterior cum Radziwilliana relatione consentiat, prior veri specie destituta est, quum electores animis praesagire non potuissent, fore ut conventus generalis procrastinandus esset.

Haec de ipso intercessionis actu ex aequalibus Sicińscii scriptoribus neque aliud colligi licet! Sperari autem poterat, fore ut Sicińscius ab intercessione demoveretur, sed ille Varsoviam antea reliquit quam eum ad illud permovere poterant, comitantibus ipsum reliquis nunciis terrestribus. Radziwillius novum modum conquestus, quo comitia rumperentur, rem novam haud inde intelligere sibi videtur, quod Sicińscius unus illud fecit, — id quod antea factum non esse vulgo putant: — Radziwillius non potuit ad hanc pervenire sententiam, quia, id quod supra jam monui, in ruptis his comitiis idem esse ipsi videbatur modus qui in conventu generali a. 1605 soluto: id modo novum eidem videtur, quod Sicińscius celerrime furtimque Varsovia secessit¹⁴⁵). At enim vero Sicińscii factum conqueri potuerunt, „non potuerunt impedire vocem liberam“¹⁴⁶).

Haec referunt aequales rerum scriptores, non conquesti illi novas res, quibus studuisse Sicińscius traditur; nam de illo „modo furtivo“ qui sobrio usus fuerit iudicio prorsus aliter statuet, quando quidem illa res nova haud admodum fuit gravis in Polonico delegato-

¹⁴⁵) Albr. Stan. Radziwill. Histor. MS. bibl. Korn. fol. 342—43. „Sole vero ad occasum vergente, dieque Dominica interveniente, ad diem tertium rejectum consilium atque conclusio. Interea Sicińscius mane aufugit Varsovia, vocatum nomen ut echo non responderet. Director lacrimis contestatus dolorem, quem verbis explicare prosecutus incusabat temporum infelicitatem tantarumque expensarum inanem vacuumque mercedem. Certe novo modo, ut loquar furtivo sese subtrahens rempublicam exposuit fortunae ludibrio“.

¹⁴⁶) Radziwill ed. Raczyński T. II. pg. 468.

rum systemate promovendo! — condemnant Siciñscii ejusque asseclorum agendi rationem, non quod nova fuisset, sed quod reipublicae in discrimine versanti et maximas turbas et summa afferret pericula.

Quod quum respiceremus facere non poteramus quin quaereremus, quo demum tempore illa sit exorta opinio, qua Siciñscius primus Libero Veto usus esse putatur. Jam in Censura Candidatorum sceptri Polonici, quam Andreas Olszowski, postea Regni primas factus, ante Wiśniowieckii electionem publici fecit juris (a. 1668), universa quaedam perscripta invenimus de primo protestationis nunciorum terrestrium exemplo, quod ad annum 1569 refertur. „Impetravere (sc. Electoralis domus Brandenburgensis stirps), inquit ille, etiam secreto a Sigismundo Augusto privilegia, unum Petricoviae an. 1568, alterum Lublini circa homagium Alberti Friderici 1569, vigore quorum Joachimus marchio Elector admissus a Rege ad ducatum Prussiae et contactu vexilli nuntii illius, quamvis super eo nuntii terrestres protestarentur, quae protestationes postea Stephano et Sigismundo regibus innovatae in libera Republica vim habuere tribuniciae intercessionis, jusque infirmabant et viliosum reddebant“. Quem nuncium quamvis generalem neque vix ad nostram quaestionem adhibendum, nihilominus tamen ideo negligendum non esse putavimus, primum quod eo protestationis jus, liberum Veto, non ad novissima demum tempora refertur, (id quod certe factum esset, si res a Siciñscio anno 1652 gesta primum exstitisset exemplum) — et deinde quod nonnullis annis post (1676) diserte perscriptum invenimus, primum exemplum, quo comitia ab unico nuncio terrestri soluta sunt, Sigismundi Augusti temporibus evenisse. Chwalkowski enim describens Conventus generalis acta: „Crevit sub Sigismundo Augusto, ait, auctoritas nunciorum in tantum, ut unus fuerit, qui exemplo Clodii, ordine senatorio sponte cesserit, quo popularis haberetur, plusque in republica ut nuncius polleret. Jus vetandi est pupilla libertatis, quam, si fundamentum in lege vel in articulo in-

structionis juribus conformi habeat, tollere non convenit¹⁴⁷⁾. Chrysost. Załuski, comitia saepissime rumpi graviter conquestus¹⁴⁸⁾, hoc quidquam nisi regiam auctoritatem augeri negat¹⁴⁹⁾, de aucta nunciorum terrestrium potentia idem, quod supra jam exposuimus, sentit¹⁵⁰⁾, sed ne uno quidem utitur vocabulo, ex quo „licentiosam comitorum ruptionem“ recentissimo huic aevo deberi recte colligas.

Quaecunque igitur de ruptis comitiis historica fide relata invenimus conferentes cum his rebus, haud injuria de pervulgata sententia dubitare nobis videbatur: et aucta est illa nostra dubitatio, quum illam sententiam ea demum aetate pervulgatam esse perspexissemus qua homines agitabantur ideis reformandi politicis ac socialibus, quae paullo post summa imis miscerent. Montesquieus, Roussavius, alii in Polonia summis cum studiis legebantur, Poloni ipsi statum, quo uterentur, pessimum esse crediderunt, majoribus igitur studiis reformandi ideas amplectebantur, quia mala, quibus laborabant, majora quam in ullo despotico erant imperio. Atque omnino illae reformandi ideae pro illa ordinis equestris libertate et privilegiis, quae degenerarunt in licentiam, introducere volebant aequam legibusque munitam omnium civium libertatem, junctam illam cum valida regni auctoritate. Constitutio d. III. mens. Maii a. 1791. promulgata his debebatur contentionibus. — Nihil autem omnibus his studiis magis adversari poterat quam Liberum Veto, quod, quamvis permulta destruxisset, natura tamen res quam maxime conservare studebat. Turbulenta ordinis equestris pars summo quidem perculsa est timore, ne hanc „pupillam libertatis“ ag-

¹⁴⁷⁾ Jus publ. Regni Poloniae, pg. 199.

¹⁴⁸⁾ Chr. Załuski, epistolae histor. fam. T. I. pg. 161. 182. 234. 746. 747. 755. 1148. 1170. 1172. 1302. T. III. pg. 420. 427. 456. 522. 555.

¹⁴⁹⁾ Ibid. I. pg. 171.

¹⁵⁰⁾ Ibid. I. pg. 190. 352sq. 464. cf. 355.

gredi auderent¹⁵¹⁾, sed cum audacia impetu in eam factó, diruta ac condemnata est. Cujus rei memores nunquam populi Polonici indolem satis mirari poteramus, aut oblivisci illius viri, qui in abolendo Libero Veto summa semper et est et erit nominandus cum veneratione. Nos Stanislaum Konarskium Piar. innuere, num erit quod moneamus? Ille enim vir optimus, doctissimus, probus, summo patriae amore praeditus¹⁵²⁾ medio saeculo XVIII^o licentiae in conventibus generalibus grassanti exstitit adversarius gravissimus et ruptis anno 1732 comitiis quam maxime commotus¹⁵³⁾, de Comitiis scribere coepit, quae, nullo nominato scriptore, Varsoviae tribus partibus (1760. 61. 62.) prodierunt hoc titulo: „O skutecznym rad sposobie albo o utrzymaniu ordynaryjnych seymów“ (i. e. De utili consultationum modo vel de tuendis ordinariis comitiis). Ibi plenum, quamvis non historicum, indicem comitorum exhibens, et, quo erat docendi studio incen-

¹⁵¹⁾ Ex anno 1743 haec ad nos perlata est sententia de liberi Veto sanctitate. „Itaque, inquit, Liberum Veto similis est illius plantae, quam naturae studiosi „Noli me tangere“ appellant. Quae planta, ubi a quo, quamvis pura manu, tacta est, prorsus recluditur. Talemque liberi Veto naturam esse debere: quod, ubi, sive jure sive injuria attrectetur, recludendum quasi esse; quia alias sensim hic flos marcesceret.“ (Fr. Poklatski, Kwestye polityczne, Statum Rzeczyposp. polsk. etc. examinujące i. e. Quaestiones politicae statum Reipubl. Pol. magistratum jura, consuetudines regum eligendorum, Conventuum et generalium et particularium, atque alias res publ. examinantes. s. l. 1743. p. 164.) Quali logice et idololatria num magis stomachus an risus moveatur, profecto nescimus.

¹⁵²⁾ Hac in re discedimus a Theineri, V. Cl. (Clementis XVI. hist.) sententia, qui nuncii a Papa ad Polonos delegati relationibus nisus, Konarskium, ut acerrimum Polonicorum Jesuitarum adversarium, accusat, illum cum Rossicis fecisse. Nihilosecius Theinerum qui criminibus hunc praeclarum virum petat, ad finem non pervenisse credimus, sed Konarskium consentientes cum priorum historicorum judiciis suspicimus quam maxime, quia unus summe populi nostri excitavit ingenia.

¹⁵³⁾ Pars I. p. 118.

sus, ad finem quem sibi proposuerat, perveniens, persuasit quidem populo, ut illam „libertatis pupillam“ contemneret, sed opinionem illam, quae injuria de Libero Veto plerisque erat probata, vulgavit et stabilivit. Qui enim deinde exstiterunt rerum scriptores eum secuti sunt omnes, nihil illius fide in examen vocata. Konarski in illis, quae hac de re perscripsit, utitur testimonio Davidis Braun, viri in Polonorum historia versatissimi quidem, sed non aequalis Sicińscii. Braunius iterum in illis, quae memoriae prodidit, ad Kochovium provocat¹⁵⁴⁾, ubi illa non dici jam supra intelleximus, addito hoc ex Borussicis Recessus actibus petito testimonio: „Sed recessus in Prussia collecti nomine Sicińskium“ (primum enim a rerum scriptoribus contendit hoc nomen ut „maledicti“ hominis silentio oppressum esse) „ex districtu Upitensi fuisse nuntium, rumpentique Castellanum Brestensem, zelo patriae, in mediis fluctibus absque consiliis relictæ, diras imprecatum et in fine orationis horrendo epiphonemate caput ejus execratum: boday przepadł. h. e. utinam pereat! quibus multos Senatores et nuntios Amen! acclamasse; denique non diu abhinc, Patrem, Matrem Sororemque Sicińskii fulmine tactos periisse, ipso superstite referunt“.

Jam quae Braunius h. l. a. 1722 conscripsit, eadem Lengnich a. 1743 plane repetiit, addens haec modo: Sicińscium in iis quae ageret, ideo se jure uti putasse, quod domi relictum ipsum et ceteros cum eo delegatos, honoris, fidei, conscientiae commonefactos, obstrixissent, ne comitia duci paterentur, sed ut commissoriale quoddam, a Rege in conventu generali sublatum, decretum retinerent¹⁵⁵⁾. Quorum omnium ap. Lengnichium nullus

¹⁵⁴⁾ De jurium regnandi fundamentalium in regno Poloniae ratione et praxi moderna, videlicet de Comitibus etc. de electionibus regum, de juribus Majestatis. Colon. 1722 pg. 62. 63.

¹⁵⁵⁾ Lengnich, Gesch. Preuss. Koenigl. Poln. Antheils. T. VII. p. 89.

quidem exstat auctor; nihilominus Konarski ad Lengnichii testimonium provocat. — Igitur doctrina illa hucusque de Libero Veto pervulgata nititur uno illo Borussicorum Recessus actuum loco, ab aliis modo ad nos perlato. Attamen perversa illa opinio, quibus tunc animis Poloni erant, fulminis instar pervulgata est¹⁵⁶⁾, quamquam erant, qui Konarskii consilia quidem impugnant, sed ea non uterentur diligentia, ut qua fide Konarskius sero Liberum Veto usu receptum esse contendisset, critice examinarent: iidem, nulla ratione Konarskianae opinionis habita, Liberum Veto antiquissimum esse censuerunt, ulpote illa comitiorum a. 1505 habitorum constitutione confirmatum sancitumque¹⁵⁷⁾. — Ne Konarskiū quidem ipsum, Virum praestantissimum, prorsus confisum esse Braunia relatione crediderim quae per se ipsa, mysticis ac singularibus quibusdam rebus plena, si prorsus historica fide indigna non est, hanc tamen fidem elevat multoque aptior videtur, ex qua quo statu fuerint animi cognoscas propter conventus tanta temeritate ruptos quam qua primum hoc fuisse exemplum probes; verum tamen Konarskius,

¹⁵⁶⁾ Anno 1760 ipso, Pyrrhus a Varillaeo, eques Gallus, qui idem Sanguszkii principis filios instituebat, (Compendium politicum seu brevis dissertatio de variis poloni imperii vicibus, in qua Reipubl. sive Libertatis, nec non in Comitii Vetandi juris origo, progressus et status praesens nova methodo inquiruntur etc. Vars. 1760) Konarskiū in epitomen redegit nonnullis, sed iis non admodum magni momenti observationibus additis.

¹⁵⁷⁾ Szczepan na Sienicy Piotrosach Sienicki, Sposób nowoobmyślony konkludowania obrad publicznych dla utwierdzenia praw kardynalnych wolności, libertatis sentiendi et juris vetandi etc. i. e. Modus novus excogitatus concludendarum consultationum publicarum ad confirmanda cardinalia libertatis jura, libertatis sentiendi et juris vetandi etc. Łowicz. 1764. Cf. Wielhorski, Essai sur le rétablissement de l'ancienne forme du gouvernement de Pologne, suivant la constitution primitive de la République. Londres. 1775. Liber idem polonice scriptus eodem anno publici juris factus erat.

quamvis ita ipse sententiae, quam anno 1732 defenderat copiosa de Polonicis legibus conscripta commentatione¹⁵⁸⁾, repugnaret, illa relatione uti ideo non dubitavit, ut illud idolum, quod tanta prosequeretur ordo equester superstitione, verbis quam maxime exaggeratis, quin etiam — libere ut dicamus — miraculis usus exueret vi antiquitus tradita. Sicut sciam quasi Liberi Veto auctorem fingit, non ut fidem historicam corrumpat, sed ut propositum suum assequatur. Propositum autem ei fuit, non ut historicam indagaret veritatem, sed tolleret inveteratum malum, quem ad finem usus est remediis, quae apta fore credidit. Quod finem praeclarum attingit, felicem quidem eum aestimamus, sed historicam fidem migrasse nobis ipsi videremur, si quam de Libero Veto primum adhibito protulit doctrinam ut haud veram non impugnassemus.

Neque tamen haec ita dicta velimus: (id quod non nemo fortasse colliget) quasi sententiam a Konarskii adversariis prolatam iudicemus veram atque historicam esse. Quemadmodum Konarskius, sive consulto agens sive errans, Liberum Veto ita vi exuere studuit, ut hoc recenti demum memoria exortum esse contenderet, ita errarunt quoque qui factum illud, ut Comitiam, quam minima rumpentur parte dissentiente a longe maiore sententiarum numero, legum constitutionibus quibusdam antiquitus sancitum contenderent. Quid sibi vellet constitutio a. 1505 edita, ad quam hi primum provocant, jam supra exponere studuimus: necessarius omnium populi delegatorum consensus ea postulari videtur, ut „commune bonum“ tueantur; quia Polonicum regnum fundamento niti non vult unius potestatis in centro collocatae, sed Reipublicae conjunctis ac foedere consociatis elementis: sed qua juris ratione ibi Liberum Veto, quo omnia comitiorum decreta solvantur, annihilantur, firmatum esset, non poteram intelligere. —

¹⁵⁸⁾ Praefat. Tomi I. Voluminum legum, cujus commentationis partes nonnullae Jos. Załuski debentur.

Alteram vero insuper afferunt constitutionem, qua Liberum Veto sancitur, constitutionem a. 1609 promulgatam. Factum id est, post ipsum Zebrzydowski Rokosz; quum ordo equester regi non prorsus novam „declarationem articuli de non praestanda obedientia“ extorsisset, secundum quam Senatores, jurejurando obstricti hoc: „quidquid vero scivero, intellexero aut sensero suae Mtis Regiae, Regno et Reipublicae nocibile et damnosum praecustodiam et ne fiat me opponam et illud avertam¹⁵⁹⁾“ — „eodem et postea obstringerentur; non restricto jure tuendi (domawianiu się¹⁶⁰⁾) libertatem et ordinis jura defendendi, quod unicuique viro nobili in particulari conventu, ordinarie per nos constituto, et unicuique conventus generalis nuncio vetere jureque sancito ritu competit“¹⁶¹⁾. Cujus constitutionis vim si recte assecuti sumus, illam nihil nisi prioris supplementum quoddam esse contenderim, qua, accedente Factorum conventorum idea et novissimo rerum politicarum statu, multo magis detrimenti quam priore illa poterat afferri Regiae auctoritati, quum unicuique viro nobili et commoda et jura in conventibus tam particularibus quam generalibus tueri liceret. Sed Liberum Veto quemadmodum illa sit sancitum nullo modo intelligere possum. Neque tamen quidquam aliud nisi quae modo memoravimus ad jus Vetandi demonstrandum allatum scio aut ullo modo invenire potui. Hujus rei culpa

¹⁵⁹⁾ Vol. leg. I. An. 1505. Tit. Juramentum Consiliariorum Regni fol. 335.

¹⁶⁰⁾ Libera vox non prorsus aequat illam notionem, quae Polonico „domawianiu się“ exprimitur, quod indirecta, ut ita dicam, rei petitio est. Rogatio, magis ictorum sensu intellecta, jam melius illam vocem reddet. Latina, quam hujus loci exhibet Konarskius, versio admodum est libera.

¹⁶¹⁾ Vol. leg. II. An. 1609 Tit. Declar. art. de non praest. obed. fol. 1660. Similis a. 1576 exstat constitutio (Vol. legg. II. fol. 923), sed locus ille notatus in ea non invenitur.

quaedam forsasse posita sit in manca Comitiorum publicorum constitutionum editione; multis vitiis illa laborante, sed secundum omnia quae hac de re nota sunt, Liberum Veto constat medio demum saec. XVIII. Comitiorum decreto sancitum esse et sancitum esse Russicorum militum vi et Russicorum libertatis Polonicae propagandae studiorum, quae nihil curarent populi jura. Sanciebatur autem alia auctoritate, illa superiore quam ullum juris civilis aut publici decretum: sanciebatur Reipublicae natura, sanciebatur populi consuetudinibus conditioneque. Historiam fidem nos servare putamus, contendentes: usum illum, quo Conventuum generalium decreta quovis minore dissentientium numero tollerentur, et antiquum fuisse, et exortum esse ex illo modo ac ratione, qua Polonicum delegatorum systema excultum esset, ex commodis provinciarum diversarum, sed singularum aequo utentium jure, fultum esse illum usum et stabilitum, quod nunciis terrestribus ab electoribus praescriberetur, ad quod servandum hi obstringerentur, postremum usum illum facillime ideo adhibendum fuisse, et pro dolor! adhibitum esse quia deliberandi unanimitas postularetur. Quam sententiam, quatenus Polonicum delegatorum systema primis lineis adumbrare nisi, id facere potuimus, hac nostra quaecunque disquisitione nos confirmasse putamus: restat tantum ut singularia nonnulla et ad rei caput pertinentia afferamus, certisque demonstramus argumentis, in Conventibus publicis antiquitus decreta sententiarum unanimitate facta esse, indeque, ordine equestri peregrinorum machinationibus inter se ipso certante, Comititia publica jam diu ante Siciñscium rupta fuisse. Non deerunt hac occasione, quibus perspicias vel „uni nuncio terrestri“ id crimini datum fuisse, quod conventum generalem solvisset: et ad haec provocabimus, non quin ea ita relata premamus sed ut talia doctrinae jam nunc pervulgatae opponamus.

Jam praeter has dicendi formulas saepissime in Comitiorum decre-

tis inveniendas: „unanimiter“ „unanimi consensu“ „omnium consensu¹⁶²⁾“ — quibus, res si aliter sese haberent, non posses uti ad demonstrandum: necessarium fuisse, omnes sententiae ut absolute inter se consentirent — praeter illas igitur has quoque usurpatas inuenies: „nemine contradicente vel reclamante¹⁶³⁾“ „nemine discrepante¹⁶⁴⁾“: quibus illud, quod volui, jam clarius probari existimamus. — Sigismundus I. Rex Constitutionum anni 1540 initio: „Qua de re, inquit, (agitur autem ibi de emendatis novissimi conventus generalis constitutionibus), cum ordine singulos Regni nostri Senatores et Consiliarios rogassemus: ita esse, una voce omnes et singuli responderunt. Itaque de consilio eorum et consensu primum deinde nuntiorum terrestrium eam Constitutionem scribi fecimus¹⁶⁵⁾“. Qui vel hoc in documento generalem quandam dicendi formulam, quales illas supra memoratas, pro omnium consensu inveniri putavit, indeque absolutae unanimitalis necessitatem ibi exstare neget, ei aliud opponemus et antiquius documentum, quo probetur Polonis periculosum visum esse, si decreta a majore sententiarum parte fierent, indeque regem ab iis monitum esse, caveret talia decreta. Anno enim 1515 quum Rex Sigismundus I. comitiis Petricoviam convocatis propter Lithuanicas res ipse interesse non posset, Christoph. Szydłowieckium ad ordines congregatos delegavit. Inter deliberandas res controversiae quoque erant cum ordine Teu-

¹⁶²⁾ { Vol. leg. I. An. 1501 fol. 291.
Vol. leg. I. An. 1503 fol. 293.
Vol. leg. I. An. 1504 fol. 294.
Vol. leg. I. An. 1532 fol. 503.
Vol. leg. III. An. 1620 fol. 382 et alia plura.
¹⁶³⁾ Vol. leg. I. An. 1520 fol. 360.
¹⁶⁴⁾ Fragm. Vapovii s. an. 1521, in ed. Colon. Cromeri p. 585.
¹⁶⁵⁾ Vol. leg. I. An. 1540. fol. 556.

tonico agitatae, quas apostolicum breve et Imperator Concilio dirimi voluerunt¹⁶⁶⁾.

De quibus Comitata generalia hoc tulerunt iudicium, conventus generalis decreti forma conceptum et ad Regem transmissum: „Quia breve apostolicum per cursorem apostolicum missum, videtur vim citationis seu monitionis habere, respondendum, ne M^{tas} Sua contumax reputata vel excommunicaretur cum regno, vel etiam in contumaciam procederetur contra Suam M^{tem} et regnum; de concilio vero tacendum, nec se excusandum concilio, nec deferenda concilio haec controversia, quia ibi de variis nationibus variae personae variorum et diversorum sensuum et favorum sunt, quae varietas posset inducere M^{ti} regiae et regno periculum, ibi enim ex pluralitate votorum concluderetur¹⁶⁷⁾“. Quod quamvis negativum modo sit argumentum, sed cum prioribus, quae attulimus collatum dubitare nos non sinit, quin Polonis suffragiorum unanimitate in consiliis capiendis opus fuerit. — Altera occasione Sigismundus I. ipse hoc principium sequi videtur, questus ille litteris quibus in annum 1545 Conventum generalem convocat, universalibus, quod nuntii terrestres sero advenientes deliberando moram afferrent; disertis ibi verbis monens, ne ei qui sero advenisset jus ullum esset, solvendi decreta jam facta: „Tum autem decretum fuit in Comitibus superioribus, qui constitutum Comitiorum diem non obiisset, ut is ne exspectaretur, sed quae absque eo essent decreta ea rata nihilominus permanerent“¹⁶⁸⁾. Supra jam attulimus, quae Cromerus de modo ac ratione deliberandi in Comitibus publicis retulit. Refert autem: „refragari placito principis non solum senatui sed etiam nunciis fas est. Itaque in eiusmodi consultationibus suspendit fere sententiam

¹⁶⁶⁾ Acta Tomiciana ed. T. Działyński T. III. d. 45.

¹⁶⁷⁾ Acta Tomiciana ed. T. Działyński T. III. p. 51.

¹⁶⁸⁾ Acta Tomiciana T. XXIII. fol. 11b. MS. Bibliothecae Kornicensis.

suam Rex; donec inter nuncios et senatores majoremve eorum partem conveniat. Sed hoc jam aliter modificatum est¹⁶⁹⁾. Quae quamvis generaliter sint scripta, nullo modo tamen ad id adhiberi poterunt demonstrandum: initio in Conventibus generalibus ex majore suffragiorum numero decretum esse. Copiosae illi narrationi, qua deliberandi ordo describitur, postposita haec: „sed hoc jam aliter modificatum est,“ nihil quidem afferunt, ex quibus quomodo illud modificatum sit intelligas; ita referenda fortasse sunt ad totam narrationem, nihil ut principium in consiliis capiendis adhibitum spectent; sed haud improbabiler acutè cum illis conjunxeris: „donec inter nuncios et senatores majoremve eorum partem conveniat“; ita ut aliud decernendi principium probatum esse videatur. Quam ob rem Konarski prudentissime hoc additamentum relicuit, probaturus in conventibus generalibus antea ex majore sententiarum numero decreta facta esse. Tantum autem abest — id quod nos alii quoque fontes docent — ut decernendi principium jure mutatum esset, ut „nuntiis haud minus quam Senatoribus liceret refragari placito principis“. Necessaria igitur omnium delegatorum concordia effici poterat hoc modo, ut feliciter cum his diversarum provinciarum delegatis ageretur. Neque minus, ubi de ulla re in diversas abierunt sententias, majore suffragiorum numero uti poterant, ut unius hominis obstinatum mitigarent animum, atque nuncium terrestrem sese opponentem „sapientioribus rationibus“ refellerent et majori conciliarent numero — quemadmodum in illis, quae electores delegatis praecipiebant, diserte monitum invenimus, ut nuncii terrestres hoc vel illud permitterent, aut impugnarent, in hac vel illa re majorem suffragiorum numerum observarent¹⁷⁰⁾; sed jam antiquitus terrarum nunciis crimini datur, quod hac ca-

¹⁶⁹⁾ Cromer Polonia l. c. p. 522.

¹⁷⁰⁾ Bielski Kronika s. an. 1521. pg. 496.

rerent virtute ¹⁷¹⁾. — Major votorum numerus ibi non est principium, sed adjumentum, quo nonnunquam, ubi animi non incensi meliora, quae majori parti placebant, doceri poterant, uti poterant, ut oppositio tolleretur. Jam Cromerus putasse videtur, antiquioribus temporibus nuncios terrestres tam prudentes, parum obstinatos aut sui amore plenos fuisse, ut majori sese civium parti accommodarent: sed comitiis illis, quibus ipse interesset, plane diversam a prioribus imaginem reddi quum crederet, satis graviter conqueri nequit: „illud salutare admodum institutum custodum libertatis communis“ in tantam perniciem verti: itaque „caeterum, ait, providendum est etiam atque etiam, ne quod ad salutem comparatum est, abusu vertatur in perniciem: metuendumque est, ne infinita illa potestas, et in licentiam erumpens libertas, non tam publicam fortassis utilitatem spectans, quam privatae alicujus unius vel paucorum libidini et cupiditatibus, vel denique aerae populari serviens et regere magis, quam regi satagens, prostrata et eversa regia majestate et authoritate senatoria, summam reipublicae confusionem et barbaram quandam exitialemque *ἀναρχίαν*, ut Graeci vocant, Polonis aliquando pariat, aut certe gravi et acerba tyrannide finiatur. Quorum utrumvis eo quidem propius impendere videtur, quo juniores et imperitiores rerum, eoque audaciores ad id munus obeundum legi, sive adeo ipsi sese ultro ingerere coeperunt, cedentibus impudentiae et importunitati eorum natu majoribus, ut quisque gravitate, usu rerum et sapientia maxime pollet. Quod utinam non in consultando quoque usu veniret, ut non id plerumque obtineat, quod gravissimis aut plurimis duntaxat, sed quod loquacissimis, clamorosis et minacissimis placuit. Quod quidem magnos et sapientes in hac republica viros non sine magno animi dolore queri nonnunquam audivimus. Sic Romanam rem-

¹⁷¹⁾ Warsewicius pg. 91. 93.

publicam amplissimam quondam et florentissimam tribunitiis furoribus exagitatam, primum in licentiam multitudinis intolerabilem effusam: deinde seditionibus, civilibusque bellis quassatam, cum in paucorum dominatum, ac mox sub unius tyrannidem recidisset, nobilitate excisa, senatus autoritate sublata, oppressa omnium libertate, omni calamitate foris domique afflictam ad extremum barbarorum inundatione eversam corruisse¹⁷²⁾“. — Ita duobus illis gravissimis, qui exstant ap. Cromerum de nunciis terrestribus, locis juxta se positis et ad verbum huc transcriptis demonstratum esse putamus, ab illo eandem, quae a nobis, intelligi mutationem.

Jam quidem collegimus: majorem sententiarum numerum magis ab eo remedium ad concordiam efficiendam quam decretorum faciendorum principium habitum esse; si quis hoc probabilitate carere censuerit, is adeat, quaesumus, librum a Stanislao Karnkowskio, Regni Primate, editum quem supra citavimus. Ibi nostram sententiam viri summo loco olim in Polonia constituti verbis confirmari omnibus ex partibus intelliges. Illa enim sectione, qua Karnkowski de inconvenientia nuntiorum terrestrium conclavi prodita agit: sub Nr. 5. „ex conclusionis concordia dicit legitimam conventus generalis conclusionem pendere, sed illam concordiam turbari superbia, nimio sui amore, fastu, all. Quin etiam sunt, qui haec usurpent: Quamvis unus omnibus ceteris resistam, perseverabo tamen in mea sententia. Contra tales igitur delegati ab ordinibus creantur, rationibus certatur, pluralitas objicitur, sed nihil omnibus his moventur: eadem utuntur pertinacia“! Alio loco postquam Karnkowski de juribus¹⁷³⁾

¹⁷²⁾ Mart. Cromeri de rebus Polonorum Lib. XXVII. ed. Colon. pg. 400.

¹⁷³⁾ „Vel ad novas leges ferendas vel ad veteres abrogandas et ad tributa sancienda conveniunt nuntii terrestres, ad quas res ipsorum consensus requiritur“.

et de officiis ¹⁷⁴⁾ nunciorum terrestrium egit, ullo eos oppositionis jure uti negat, et postrema haec addit: „tali oppositione tribunicia potestas Romanam rem publicam evertit: quam ob rem ne dicat terrarum nuntius: Decretum Non-decretum, Comitia Non-comitia: quae haud longo abhinc tempore in vitis auribus audivimus“. Inter „Media“, quibus ad concordiam necessariam efficiendam uti vult, sect. V. n. 4. inter alia: „Vulgaris, ait, sed optimus et laudabilis est modus, ut ubi inter nuntios terrestres non convenit, senatorum sequantur sententias. Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum!“ Praeter autem illum locum, quem jam supra excitavimus (pg. 195. not. 97.), ad illud est animadvertendum, ubi (n. 5.) censet: „in directione publici consilii plurimum situm esse: quam directionem primati deberi. Primatem autem si sequerentur primarii senatores, magnam esse spem fore ut eo celerius perveniatur ad concordiam. Hos senatores esse debere gratas personas populo, fidei probatae, usu et experientia rerum exercitatos, eloquentia praeditos, quippe quibus libenter homines obsequerentur. Magnam artem esse in eo persistendi omniaque vitia patienter tolerandi, imprimis dicendi copiam quantamcunque cuivis faciendam esse, vel usque ad ravim. Itaque alteri alterius onera ferenda esse: iracundum blando sermone decipiendum esse, — superbientem, et fastuosum modestia animoque demisso, — saeculo deditum facetis sermonibus, artibus, salibus, humanitatis officiis et liberalitate, denique panibus animos hominum movendos esse, bonasque et salutes sententias instillandas esse. St. Paulum

¹⁷⁴⁾ „Nuntii terrestres officium intercessorum obtinent, ubi contra legem, rex quidquam decernere aut constituere voluerit i. e. existunt communis libertatis vindices, altero pro altero interveniente et intercedente, et ut fidejussore medium quoddam ponente inter creditorem et debitorem; sed illis oppositionis jus non competere, ad quod consilium jurejurando obstricti essent“.

dicere: dolo vos cepi; sed in bonum, et alio loco: Omnibus factus sum (1) omnia, ut omnes lucri facerem Christo, quod tantum ad aedificationem factum esset, idque spectasse, ut esset concordia non solum animorum sed etiam sententiarum. Quas res faustas felicesque supremum numen jussurum esse semper. — Quae omnia hanc modo habent vim: omnia facienda et experienda esse, ut ad necessariam perveniatur omnium concordiam.

Karnkowski operi finem impositurus, graviter monet nuncios terrestres, ubi recensitis, quae plurima Reipublicae imminet, periculis: „Quid restat? inquit, restat hoc unum, ut ne nobis ipsi desimus. A Senatoribus nihil est quod petam; concordēs sunt. Sed inter vos nullus ordo, omnia conturbata . . . Proinde nostra communis patria a vobis rogat, vobis supplicat: misereat vos vestri, neve me diripi patiamini. Auferte mala actionum vestrarum: pertinaciam, fastum, arrogantiam, superbiam, loquacitatem, — vitii virtutes succedant: abstinentia nimii cibi, potus et somni, temperantia, modestia, humilitas, mansuetudo, cultus et reverentia erga seniores. Praecipuum; virtutem sequendi probandique ars in politica tuenda posita est in ardente studio unitatis concordiae et pacis. Neque enim sine ratione talis et tantus labor ab omnibus suscipitur, in redigendas sententias diversas ad unum, nisi propterea, ut libertatem publicam quasi pupillam plenam et integram conservemus, illiusque, qua nihil est carius, omnes aequae participes sumus. Neque vero ejus participes sumus, par enim est periculum quum a rege (quod absit) muneris auctoritate premor; sed dispar, quum frater meus, in eodem quo ego constitutus loco, sed majore usus temeritate et arrogantia, meam libertatem attrectavit et quantum in illo est, rapuit. Evitantes igitur schismata studeamus unitati . . . ubi enim discidium, ibi interitus ne longe quidem abest. Vos Reipublicae columnas esse gloriamini, sed non sufficiunt tales tituli, ubi agendi modo

vestra officia violetis, recto illo tramite relicto, unde vos rempublicam perdituros esse, vetustiores homines praesagire volebant. Itaque, per Vos Deum, oro quaesoque, curetis ne illam praedictionem probetis: multo enim melius erit, hominem nunquam natum fuisse etc. etc.“

Quae mala igitur Poloniae propterea evenere, quod unanimi-
tatem sequerentur, tanta erant, ut jam saec. XVI^o exeunte et
saec. XVII^o ineunte de majoritate in comitiis loco unanimi-
tatis adhibenda cogitarent. Stanislaus Sarnicius in prae-
fatione ad Annales Polon. Cracov. 1587 scribit, se „collegisse et
edidisse hac de re exempla et formas diversas, petitas partim a
Venetis partim a Germanis in eligendo Imperatore, partim deni-
que ab Italis in eligendo Pontifice: in hunc nempe usum, ut quod
optimum videbitur, in suum usum sumant Poloni“. Idem spe-
ctare Stan. Karnkowski videtur, dicens: „nuntiis, ubi cum
articulis compositis in senatum prodierunt, ibi demum suadendi
campum patere. Quum Regni mareschallus vidisset, quo major
pars inclinatura esset, accederet ad regem, ut Regia majestas
nominalim sententiam dicere juberet primum Senatorem i. e.
Archiep. Gnesn. . . . quem ipse subsequitur aut approbans aut
refutans. Deinde Mareschallo Regni officium injunctum esse, ut
amplius de illa re non agatur, de qua sententiatum est . . . ne
deliberationes in infinitum ducantur“. Ex anno 1606 ad nos
perlatum est Votum nobilis Poloni pro particularibus conventibus
et comitiis (an. 1606) conscriptum (Pol.)¹⁷⁵), ex quo clare
quid senserint illa aetate homines perspicitur et quam sapienter
intellexerint vitia quae Reipublicae vim frangerent. Inter alia
„Simplicissimae, inquit, consultationes sunt in Republica, sine-
rae, sine animis praepjudicatis, sine omni furore et simultate. Nemo
sua privata respiciat commoda. O infelicia privatorum studia,

¹⁷⁵) 12 folia pagg. non distincta. (Bibl. Korniciensis.)

propter quae Respublica gravissime affligitur! . . . Virum nobilem subacti iudicii dicentem audivi: nos deliberantes aut cum rege facere ut petenti, quae petit, det aut contra regem stare, ut illa extorqueamus et altercando eripiamus; rempublicam autem vel duo vel nemo respicit. Rationem inite, quanti constant vobis Conventus generales, quanti labores, quantae molestiae vobis perferendae sint, et quid decernatur! Stylus plura perscribere dubitat! . . . Postquam deinde commemoravit, Polonorum comitia a peregrinis comoediarum loco haberi, quibus aut delectentur aut propter quae Polonorum deliberationes saepissime irritas reddi querantur: „Per viscera misericordiae Dei, exclamat, obsecro vos, excogitate, quo, omissa loquacitate, Rempublicam plurimo sanguine redemptam integram et Vobis Vestrisque posteris conservare possitis. Factis opus est, non verbis. Respublica oportere esset non verbosa, sed efficax, non litigiosa, sed strenua. Quam ob rem id nuntiis demandandum esse, curarent, ut in Comitibus publicis unanimi locum arbitrium majoritati relinqueretur Venetorum more modoque.“ — Non minus graviter anno 1607 Andreas Rey a Nagłowice incommoda unanimi locum secuta conquestus, aliam tollendi mali vim inivit; factum mavult, ut „gravamina et petitiones provinciarum, more Gallici Regni, universa nobilitas in unum librum congereret, eaque etiam uni advocato sive legato traderet, ut is in conspectu regis, totius senatus legeret atque ad ea responsum urgeret et adscriberet. Idem faceret ordo ecclesiasticus et plebejus, quisque per suum legatum, et ita omnium petita et gravamina absolventur brevissimo temporis spatio“¹⁷⁶⁾.

Sed nihil mutarunt omnia haec consilia: unanimitas enim necessaria non debebatur huic vel illi doctrinae, sed effecta fuit

¹⁷⁶⁾ Andr. Rey a Nagłowice, Discursus politici etc. ann. 1607 conscript. Hannov. 1612. pg. 560. 561.

historica Polonici regni natura; interna quaedam reformatio antea perficienda fuit, priusquam unius doctrinae loco alteram amplecti possent. Nihilominus crediderim, ideas hic primum prolatas majoris momenti fuisse in promovenda publica Polonorum vita, quam vulgo putatur, et huic momento, quamvis ad id rerum scriptores hucusque parum vel nihil attenderint — nolumus dicere hoc ideo factum esse, quod illud contemnerent — vim haud mediocrem his turbatis temporibus tribuendam esse putamus.

Si quid enim aliud, hoc certe est memorabile, hac ipsa aetate, ubi ordo equester, Sigismundi III. artes Austriae deditas et subdolas reformidans ad arma provocaret, majoritatis principium, unanimitati quam maxime contrarium, pertinacissime relentum esse in Zebrzydowski Rokosz et in illa confoederatione, cujus signis usus Sigismundus III. Rokoszanos devicit.

Primordia Rokosz et confoederationis, neque minus quae juris publici ratio inter utrumque intercesserit eadem obscuritate premuntur quam Liberum Velo primum adhibitum. Difficillime veram utriusque illius instituti — si ita nominare possumus rem celeriter gestam — naturam definieris, inprimis quia, plerumque utroque confuso, quae a rerum scriptoribus perhibentur discrimina nullis possunt probari juridicis documentis. Dicunt quidem Rokosz esse seditionem ordinis equestris in regem Senatūque coorti; confoederationem contra legibus sancitam agendi rationem, qua omnes ordines resistant conjuratis in civium libertatem¹⁷⁷): quam haud ita raro Rex ipse probat (e. g. Tyszowiecensem), sed eodem quoque nomine insiguntur actiones in ipsam Regiam dignitatem directae, ut e. g. confoederatio Ma-

¹⁷⁷) Summi momenti sunt quae referunt Stan. Lubiński. Opp. posthumm. Antwerp. 1643 pg. 68, 79, 293. et Piasecki, Chron. pg. 231 — 235. Cf. de Polonorum Confoederationibus Praeside Gottfr. Lengnich disput. Carol. Ern. Kettner. ed. 2da Lips. 1735. Lelewel, Considérat. §. 125. — Rychcicki, Piotr Skarga etc. T. II. pg. 399 — 408. quae affert, copiosa sed non nova sunt.

juris Poloniae in Lubomirscii favorem facta. Confoederationis natura quum in eo sita sit, ut majoritatis rationem sequens agat, habetur propterea remedium Liberi Veto¹⁷⁸⁾. Quales confoederationes fortunae originem debere J. Roussavius putavit¹⁷⁹⁾, et quamquam nesciebant, quae fuisset illa fortuna, habebat tamen, qui eum sequerentur. Id autem certum est, confoederationes 200 annis antiquiores esse quam Grauertus, V. D., statueret. Primum earum exemplum illo ipso anno 1352 invenimus¹⁸⁰⁾.

Non minus fortunae deberi videntur origines Rokosz, quod vulgo imitationem esse volunt ordinis equestris Hungarorum congregati et ad certamina parati¹⁸¹⁾. Quale Rokosz primum exemplum in prima videmus oppositionis actione, qua ordo equester ad bellum congregatus ad Leopolim usus est anno 1537¹⁸²⁾. Gravius est et multo clarius finem sibi proposuit Zebrzydowski Rokosz a. 1606, quo id tentatum esse videtur, tales ut oppositionis actiones recte et juste ordinarentur.

Non raro Zebrzydowskium id egisse legimus, ut Rempubliacam aliter constitueret. Quod quo jure contendatur nolumus nunc in omnes partes quaerere, id autem certum est, quod iis quae postularet: ut Jesuitis expulsis et vinculis, quibus cum Austria conjunctus esset, ruptis Sigismundus III. Pacta Conventa exsequeretur, — iis, inquam, Zebrzydowskium non potuisse politicam Reipublicae naturam emendare. Zebrzydowskius autem vel longius progressus est. Intellexit summum in periculum vocari patriae libertates inde, quod unanimatis principium stricte observaretur, et avertere

¹⁷⁸⁾ Kettner l. c. pg. 19. §. XXIV. J. Lelewel. l. c.

¹⁷⁹⁾ Considérat. sur le gouvernement pol. 9.

¹⁸⁰⁾ E. Raczyński, Codex diplomat. majoris Polon. Posn. 1840 pg. 180. 181.

¹⁸¹⁾ Piasecki l. c.

¹⁸²⁾ St. Orichovii Annales, annalis VI. Caput hoc ab Orichovio perscriptum esse fuerunt quidem qui negarent, sed falso, credo. cf. Vitam Petri Kmitae ed. Dant. 1643 pg. 238 et Ossoliński, Wiadom. hist. Kryt.

voluit illud periculum majoritate, quam se sibi conciliasse putabat¹⁸³⁾. Acer igitur Zebrzydowski sectator, Stadnicki, Kalendris Septembribus a. 1606 inter Rokoszanos Sandomirii congregatos „pluralitatis“ principium defendebat, qua Rokoszanis in deliberando utendum esset, „neque enim hic permitti ullo modo posse, aiebat, ut una aut duae personae labefactarent factum decretum“¹⁸⁴⁾.

Nolumus quidem statuere, Zebrzydowski, plane sibi conscius, quid vellet, in agendo sententiam tunc pervulgatis contrariam amplexum esse et armis in pugna apud Guzowiam facta defendisse: id vero negari non potest, illos, qui ab ipsius tunc starent partibus, eadem „pluralitatis“ idea summopere affectos crimini hoc vertisse regi „quod cum minore civium numero conjunctus et cum Austria contra ordinis equestris privilegia conspiraret“¹⁸⁵⁾. Ideae aut studia, quorum propugnator Zebrzydowski existitisse videtur, quamquam longe aliam causam habuerint adeo tunc popularia erant, ut Rex sperare non posset, fore ut Rokoszanos vulgaribus armis devinceret aut vulgaribus artibus ad se pelliceret, quare eandem se majoritatis ideam sequi Rex ipse professus est. Ordo enim equester qui cum eo faciebat, Confoederationem inivit, „ut Regni statuta, regiam auctoritatem“ cum ceteris rebus quas tutabatur, contra Rokoszanos defenderet¹⁸⁶⁾. Iisdem armis pelitus Zebrzydowski devictus est, quia terram, ex qua mala rempublicam labefactantia rescindi posse putarat, non solus

¹⁸³⁾ Sententiam hanc ipsius Zebrzydowski vide ap. Rychcicki, Piotr Skarga etc. T. II. pg. 388. cf. T. Czacki, Obraz panowania Zygmunta Augusta apud Mich. Wiszniewski, Pomniki hist. i lit. Krak. T. III. pg. 5. nota 3 juxta auctoris ipsius MS.

¹⁸⁴⁾ Testimonium testis oculati in Vol. 168^o MSS., quae asservantur in Ossolinskia Bibliotheca Leopoliensi fol. 637. cit. a Rychcicki.

¹⁸⁵⁾ Rychcicki l. c. pg. 387. Illuc etiam tendunt, quae ap. Niemcewicz (Res gestae Sig. III. T. II. pg. 27.) legimus.

¹⁸⁶⁾ Stan. Łubieński, Opera posth. pg. 79. sqq. Rychcicki l. c. pg. 416sqq.

retinere poterat. Majoritatis armis devictus est neque inter se conciliabantur ideae in medium allatae unanimitatis cum majoritatis, sed conciliabantur tantum diversae civium et stirpium partes et conciliabantur in vulgaribus Comitibus, ipsa igitur unanimitate praevalente!

Neque tamen haec ita dicta esse volumus, quasi Zebrzydowski Rokosz nil nisi Liberum Veto tollere studuisset, et propterea ejus clades querenda esset. Innuere tantum voluimus in illum motum diversa haec principia suam exseruisse vim. Sed principia illa non satis distincta inter se certabant, immo mox aliis obruta, nullum alteri victoriam eripere studebant.

Quibus factis eodem quo antea procedebant res ordine: rara fuit monentium vox: ut oratio ecclesiastica Petri Skargae a. 1610 habita, ubi Poloniam cum republica comparat, navigio reclusa, quod unus stultus homo fluctibus committere possit¹⁸⁷⁾, qua semel irritata „libera vox“ non minore grassata est licentia, quam qua et antea usa erat et deinceps multo majore reipublicae damno usura esset.

Illud prius probandum nobis adhuc erit.

Gravibus illis querellis, quas apud Cromerum et Karnowskium legimus, nemo, qui Liberum Veto adhibitum inde a Siciñscii demum temporibus cognoverit, ab illa, quam secutus est, sententia perturbabitur, neque ideo illas querellas huc transscriperamus: quia alias probandum nobis erat, talium querellarum causas fuisse satis graves illis scriptoribus. Has fuisse jam quam maxime doluimus. Modrzewskii verbis, multoque magis Warsewicii dicendi ratione minime placida haud injuria possumus uti ad illas querellas confirmandas.

¹⁸⁷⁾ Wzywanie do pokuty obywatelów korony polskiej y W. X. L. (i. e. Exhortatio ad poenitentiam civium Polonici Regni et Magni Ducatus Lithuanici) p. Petrum Skargam, Soc. Jes. Cracov. 1610. In editione omnium orat. ecclesiast. Lipsiae a. 1843 curata T. VII. pg. 177sqq.

Obstaculo¹⁸⁸⁾, fastus¹⁸⁹⁾, loquacitas¹⁹⁰⁾, turbulentia¹⁹¹⁾,
invidia inter se¹⁹²⁾, studia privata¹⁹³⁾, amor sui nimius¹⁹⁴⁾,

¹⁸⁸⁾ Warszewicius, de optimo statu libertatis libri duo. Crac. 1598 pg. 93. Postquam nostrae memoriae prodidit, nuncium terrestrem a Sigismundo Augusto, quod ad patres provocasset, tam gravi oratione castigatum esse, ut desineret „regi illudere miser“, „jam enim velim, inquit, nobiscum ipsi perpendeamus, an non periniquum videatur multos id sequi, quod non ratio concordiae, non inclinatio communium temporum, sed sui amor suggerit coecus, et quaedam obstinatio, propter inanem nescio quam in vulgus opinionem firmitatis“?

¹⁸⁹⁾ Ibid. 88. 209.

¹⁹⁰⁾ Ibid. 97.

¹⁹¹⁾ Ibid. 98. „Quid? an non vel illi quoque et quotidie plures non sunt, qui turmatim et tumidi inter suos veniunt, et quum demum Regem omnes debent accedere, ii, quos subsequi oportebat, praeeunt, qui praeeire subsequuntur? Ante omnia autem adventus sui expectatione diu distinent regem, mox interdum etiam aliquem publice objurgant et coarguunt senatorem; Marsalcum item Regni de precio rerum venalium et hospitium recte distribuendis monent liberius“ etc. etc. cf. pg. 90.

¹⁹²⁾ Ibid. pg. 91. 88. . . . „cum non sine dolore aspiciam torrentis instar in vestro ordine praecipitari in pejus omnia et multo plures quam virtute, certare inter se invidia, et denique non tam Reipubl. causa, quam cupiditatis suae gratia ambire has legationes quam plurimos“.

¹⁹³⁾ Ibid. pg. 82. „Jam et eliguntur quoties et quibuscum volunt et in minoribus conventibus, qui generalia Regni comitia antecedunt, ea privatim inter suos proponunt, quae demum in summo illo totius Regni Conventu et concilio rata et grata haberi volunt ab universis. Quibus si quis obstiterit in hunc hostilem animum perpetuo gerunt et infectis aut perturbatis rebus ex comitio tandem discedunt“. Cf. pg. 83. 88. p. 100. 101. „Ac primum quidem Legati isti, si Deo probantur, vestri, nunc in Regias, nunc in Senatorias partes transeunt, prece et precio, ubi non expediebat facile cedunt, in aures regis influunt quibusdam Senatoribus applaudunt, privatim multa et magnifica publice pro libertate pauca verba faciunt. . . . Mihi satis sit nocturnos cum Rege congressus iis nuper exprobari audivisse, et alterum alteri dixisse, quam scienter et apposite perorare et a libertate stare, tuoque adversari Regi scis, frater, una et altera praefectura hoc quinquennio ab eo auctus ex comitiis domum es reversus“.

¹⁹⁴⁾ Ibid. 91. „Quid enim? an ne vetustiora repetam, post Sigis-

falsa de se existimatio et persuasio¹⁹⁵⁾ jam dudum, a Sici-
scium „facta infecta reddere“¹⁹⁶⁾ student, omnem comitorum ordi-
nem ita turbant¹⁹⁷⁾, ut partim rebus infectis discedatur¹⁹⁸⁾, partim
comitia irrita habeantur¹⁹⁹⁾, neque ad aliud quidquam „nuntio-
rum terrestrium conformantur ingenia, quam ut unus civis alteri
aegre faciat, Regi negotium facessat, senatui invideat, postremo
vero omnium, rebus infectis comitia dissolvantur“²⁰⁰⁾. Ean-
dem sententiam Gratianus, secretarius Commendonii, a Papa
ad Polonos delegati, sequi videtur, quum Henrico in Poloniam
profecto idem suadet, ad quod jam multo antea Philippus Bu-
nacorsi Joannem Albertum Regem multo gravius instigarat²⁰¹⁾,
ut nuntiorum terrestrium auctoritatem paulatim minueret. Nun-
cios enim terrestres censet, „sub Augusto rege tantam aucto-

mundi Regis hujus patris mortem non turbulentissima habuimus comitia?
et posterius etiam alia, quod diviso Senatu et Legatis municipalibus di-
scordibus, nihil quod salutare fuisset poterat persuaderi. A qua ipsa
tanquam a pessimi exempli re cavendum est diligenter. Quae non
aliunde magis oritur, quam ex amore nostri nimio et ignorantia nostra-
rum functionum. Tantundem enim fuisset remansisse domi, quam in-
fectis aut turbatis rebus ex Comitibus discessisse“ etc.

¹⁹⁵⁾ Ibid. pg. 94.

¹⁹⁶⁾ Ibid. pg. 88: „Qui cum pro Comitibus veniunt... quae facta
infecta esse non cupiunt? et quantopere tum Regi, tum Senatorio ad-
versantur ordini, summam artem putant magistratui adversari“ cf. pg.
208. Postquam iis retulit rempublicam minime curae esse, pergit: „qui
ut modo nunc regi, nunc senatori aegre faciant alicui, etiam ea, quae
semel decreverint incassum abire et Comitia habita rata,
irrita rursus fieri patiuntur“ etc.

¹⁹⁷⁾ Ibid. pg. 86. 91. 92. 97. 113.

¹⁹⁸⁾ Ibid. pg. 82. 208.

¹⁹⁹⁾ Ibid. 208. 209.

²⁰⁰⁾ Ibid. pg. 99. Cf. pg. 209: „sic et conventibus, qui Reip.
coguntur gratia temere dissolutis, multo illi majorem, quam si celebrati
non exstitissent, inurunt calamitatem“ etc. cf. pg. 214. 215.

²⁰¹⁾ Litterae de modo administr. et regn. in Polonia in Przegląd
Poznański 1848. T. VI.

ritatem assumpsisse sibi, ut cuncta paene sub arbitrium ditionemque suam atraxerint, simulimque evaserint tribunis plebis veteris Romanae Reipublicae. . . . Eandem enim viam ingressos terrestres nuncios et praescribere senatui, quae decernenda sint, et decretis intercedere audent et turbulenta inde consilia saepe prodire, et inter hos plurimum haereticos audacia ac seditiosis orationibus valere²⁰²⁾. Postremo loco quae Gratianus dixit, qua fide usus posuerit, ipse defendat; sed priora illa aliorum quoque testimoniis adstruere possumus. Stan. Gorski, vir ad summas dignitates Sigismundo I. et Sigismundo II. Augusto regnantibus provectus, in Patri Kmitae vita²⁰³⁾ de hoc viro: „Kmita, inquit, ad amplissimos regni magistratus per reginam eVectus ducem se omnibus factiosis praebuit, equestremque ordinem uti levissimum ac stultum, ita in Republica inquietum ad se traduxit, et per ejus temeritatem, quae voluit tum privatim tum publice in omnibus comitiis regni fecit, et rem eo deduxit, ut ex republica non mala pessimam reddiderit, ipsi vero equestri ordini tantam potentiam quaesierit ad omnia publica negotia turbanda et confundenda, ut his obstantibus nec rex, nec lex, nec jus nec fas, nec publica honestas aliquid etiam nunc valeat, nec regnum ordinari, nec defensio certa constabiliri, nec judicia exerceri nec comitia concludi possint“. — Quae ne quis in universum tantum vera diceret, cavit Stan. Gorski referendo casu singulari, dicimus comitia generalia a 1537 dissoluta. Quae jam anno 1536 exeunte cele-

²⁰²⁾ Vita Commendonii p. 396.

²⁰³⁾ Hic liber conjunctus est cum *Annalium Orzechowii* editione, quia aliquamdiu falso eidem Orzechowio tribuebatur. Locum supra exscriptum desumpsi ex edit. Gedanensi 1643 p. 223. — Ceterum de Stan. Gorski ejusque scriptis praeclara exstat commentatio ab Ossoliński, Com. III. perscripta. (Wiedomości historyczno-krytyczne. Krak. 1819. T. 1. p. 493—507.)

brari coepta propter gravissimas de Cancellariatu contentiones admodum sunt tractatae. „In his comitiis Kmita cum aliis turbulentis res et negotia publica stulte tractans, gravis in regem odia foedosque ac ignominiosos regno motus suscitavit“²⁰⁴). Post quae quum multus fuisset in nunciorum terrestrium querellis et articulis referendis: „Cumque ea contentio, ait, de his articulis prope jam condita, composita ac sedata videretur in illis comitiis, rege ad cetera omnia consentiente, cum ad hos ultimos quatuor articulos consentire nollet, subito vehementis ira ac indignatio veluti turbo quidam nuncios illos in rabiem egit, ut quae jam concordata ac composita fuerant, irrita omnia fierent.... ita, ut nec juramentum a Sereno Rege juvene filio consiliariisque praestitum audire nec de ulciscendo Valacho hisce comitiis revolverint, sed concitato cursu honestatis ac officii sui erga regem dominum suum obliti, ira furentes et minas spirantes non rege valedicto, nec conventu concluso discesserint“²⁰⁵). Haud erit, propter quod cum iis disputemus, qui secundum hanc relationem a Kmita uno comitia generalia dissoluta negent, sed a majore numero: sufficit in praesenti nobis, Kmitam ita Tibi, L. B., notum factum esse, ut quid in alia re a scriptoribus aequalibus agitasse perhibeatur, deinde cognoscas. Primo Conventu generali a Sigismundo II. Augusto a. 1548 post patris mortem convocato fuit inter nuncios terrestres et Senatores non nemo, qui matrimonium a Rege cum Barbara Radziwiliha, clam neque consultis ordinibus contractum dirimi vellet. Audax et disertus exstitit hac in causa Kmita, sed rex, qui jusjurandum datum migrare nollet, ordines interrogans: „Sed cum vobis, inquit, respublica fide mea stet salva, quonam modo ea fides firma nobis erit, si uxori jussu vestro fidem fregero?

²⁰⁴) Gorski l. c. p. 230.

²⁰⁵) Ibid. p. 231.

Non est quod me vobis fidelem speretis fore regem, si vir uxori fuero infidelis!“²⁰⁶) Quibus quum nondum oppositio victa esset, sed ipsa adversarii probare studerent regi, se secundum electionis condiciones, non antea ipsi obedientiam debere, quam Lithuaniam, Borussiam, Zatoriam cum Polonia conjunxisset: rex edixit: „sibi sententiam Tarnovii“ — docere enim studebat oppositionem, omnia haec a rege non posse eodem tempore perfici — „justam et aequam videri, secundum quam, se regnare, jus dicere ac Reipublicae providere velle, ne qua mora spatium daretur rebus turbandis ac novandis. Qua propter per praekonem diem judiciis pronunciat, frementibus legatis ac maxima parte senatus reclamante. Itaque judiciorum publicorum die adest Rex et Senatus, sceptriger etiam regi praestitit Kmita, consedetur, fit silentium edicante eodem sceptrigero Kmita, qui honorem praefatus regi, veniam sibi dari petebat, quo illi abesse ab iudicio liceret, quo convelli statum Reipublicae perseverabat. Haec praefatus sceptrum dimisit, ac veneratus regem ex iudicio abiit, quem subsequenti erant magna pars senatus et legati universi. Miserabile sane fuit ita distractum esse Senatum, ut amplissimi ejus ordinis viri ex Comitibus relicto rege Petricovia discederent, doloris et moeroris pleni“ etc. etc.²⁰⁷). Nonne Kmita est, qui haec comitia ruperit? nonne idem est iste Clodius, cui quod primus exstitit conventus generalis rumpendi auctor, Chwalkowius recte crimini vertit, et quem Gorski illius sceleris coarguit?

Hanc dissolvendi formam, quae minime tam vulgata quam Siciniana fuit, graviter discrepare jure dixeris ab illo modo ac ratione, quo Comitibus publica a. 1652 dissoluta sunt; Siciniscius enim intercessit comitiis prorogandis, sive privatis commodis ductus, sive pecunia motus: at Kmita intercedens deliberationes

²⁰⁶) Stan. Orichovii Annales ed. Dant. 1643, p. 21.

²⁰⁷) Ibid. pg. 34. cf. ibid. Gorski pg. 244, 245.

ipsas sistebat, ita ut deinde rumperet ipse conventus generalis. Siciuscius intercedens privavit ordines facultate progrediendi negotia comitiis publicis proposita, ita ut ordines rebus infectis discedere cogentur. Proinde, verba si premere voluerimus, multo accuratius „Comitia generalia rupta esse“ dicemus priore illo modo quam posteriore.

Jam si forte dicatur, Orzechowium narrare: longe majorem partem cum Kmita e conclavi profectam esse, respondebimus, hos ideo illum secutos non esse, quia ejus probarent intercessionem, sed quia hac „libera voce“ Kmitae et jure impeditos se esse intelligerent, quominus diutius consiliarentur. Eandem causam anno 1652 magna Senatus et terrestrium nunciorum pars secuta est, quanquam tantum abfuit, ut quibus patria exponeretur periculis non praeviderent animis, ut nimis illa praesentirent! Anno 1548 „miserabile fuit“, ait Orzechowski, Kmitae agendi ratione distractum fuisse Senatum, ita ut amplissimi viri ex comitiis discederent „doloris et moeroris pleni“; anno vero 1652 „director, teste Radziwillo, lacrimis contestatus dolorem incusabat temporum infelicitatem tantarumque expensarum inanem vacuumque mercedem“. Utraque igitur occasione singulae res inter se differunt, quia tempora quoque diversa erant: sed inde diversa quoque ibi exstitisse principia haud contenderim equidem, quia haec poterunt non demonstrari historice. Idem est principium necessarii omnium nunciorum terrestrium consensus — et juris, quod est longe minori civium parti, intercedendi, quod ipsum hunc conventum generalem dissolvit et quod perniciosissimum esse jam plurimi conquesti sunt: at idem principium jam tam arcte cum publica Polonorum vita conjunctum erat, ut vel Joann. Zamoscius, vir summus, id sanctum haberet neque quidquam contra perfici speraret.

Quum enim Clemens VIII., P. M., consilium cepisset, ut omnes Christianos reges foedere contra veterem Christianae fidei

hostem in eundem consociaret²⁰⁸), a. 1596 Henricum Gaetano Poloniam delegavit, qui foederis inter Poloniam et Austriam, tunc a Turcis in Hungaria graviter pressam, icendi suasor existeret. Quem ad finem Gaetano Vanozzium secretarium ad Zamoscium misit, quocum de hoc ageret consilio. A quo Zamoscius quamquam haud ita abhorrebat, Austriae tamen cum reliquo ordine equestri jam dudum diffusus, proposuit Poloniam cum Russia conjungere tentarent et, pace inter Galliam et Hispaniam facta, his viribus contra Islamiticos uterentur: „Austriam enim his rebus in suum tantum commodum abusuram esse, censebat, omni belli onere regnis cum ipsa societate conjunctis relicto“. Ceterum, quibus uterentur Poloni in Austriam animis, nullo nunc modo fieri posse ut conventus generalis ad foedus cum hoc Imperio ineundum permoveretur, ostendit: contra quae quum Vanozzius nonnulla monuisset, Zamoscius comitia prius ruptum iri respondit, quam hanc societatem probatum: „in hac enim republica nuncii, qui vocantur terrestres habent intercessionem tribuniciae potestatis, adeo ut ex his unus possit omnia perturbare et impedire“²⁰⁹).

Post duos annos circumferebatur libellus, in quo idem principium et quam late pateat et quam vim in Reipublicae statum illo tempore exerceat exponitur²¹⁰). Ejus scriptor inde pro-

²⁰⁸) L. Ranke. Paepste. T. II. pg. 310.

²⁰⁹) Ristretto della doppia negoziazione fatta dal Vanozzi etc. MS. bibliothecae Albanae Roman. Typis expressa sed Polonice versa exstat illa relatio ap. Niemcewicz, Zbiór pamiećn. Warsz. 1822. T. II. pg. 216 — 299. Locus quem citavimus (pg. 295) sunt ipsa Zamoscii verba, Latine ad nostram memoriam perlata, quae in libello Italice scripto et ipsa Latina exstant. Altero loco (pg. 281) Zamoscius diserte haec monet: „unicuique terrarum nuncio licere liberi veto privilegio dissolvere conventum generalem“. — De foedere cum Austria perficiendo cf. Pia-secki quoque pgg. 141. 142.

²¹⁰) Zwierciadło Rzeczypospolitey Polskiej na początku r. 1598 wystawione i. e. Speculum Reipublicae Polon. initio anni 1598 expositum. 11 pagg. non design. (Bibl. Kornicensis).

fectus, id quod ab aequalibus concedi, scribit: „Regum ex plurimis malis laborare, addit, esse medicos, qui caussis malorum perspectis illa remediis quibusdam tollere consuessent. Quorum malorum caussas ab illis medicis perhiberi: debilitatem Regum, regni officia ab iis neglecta, Pacta Conventa migrata. Jam secundum medicinas, quibus contra haec mala uterentur, de illis medicis judicandum esse, monet. Inter quatuor autem, quae adhibent, remedia est alterum: „Disrupti conventus generales“, in quo certe obversabantur scriptori comitia a. 1597 soluta, quae ab eo narrata ne uno quidem momento discrepant ab illis quae a. 1652 irrita evenerunt: nuncii terrestres ipsi articulorum iis demandatorum auctores esse solent, quos quum perfici obstinatissime jubeant, nullis argumentis moventur: ubi ad finem pervenitur, unus est qui ab altero pecunia corrumpatur, ut in postulatis persistat et secedens totam deliberationem reddat irritam. Attamen necessarium esse, omnes ut prorsus consentiant, scriptor idem confessus, jam notam illam Karnkowskii rationem secutus, „nulli rei quidem parcendum esse censet, ut illud assequantur, sed nullo modo petulanter comitia publica rumpenda esse!“

Alteram sententiam sequitur illud Poloni cujusdam nobilis viri Votum a. 1606 editum, cujus jam supra mentionem fecimus. Scriptor cum maxime erat motus conventu generali a. 1605 soluto, quem eodem modo, quo ille a. 1652 celebratus, finitum esse Radziwillus scribit, ut jam legimus, insectatus ille vir nobilis singulorum licentiam, majoritatem sequendam esse censet. Diserte enim dicit comitorum ruptorum nuncios terrestres, ubi rursus eligendi adest tempus, comitia frustra habita antea ita excusare, „ut conventus generalis rupti crimen in hunc vel illum obstinatum transferant“. Consilio igitur, quod novum profert copiose exposito, periculis, in quibus Respublica versetur, nominatis, Deo clementissimo supplicat, ut hic conventus feli-

citer peragat. Post quae: „Quodsi, inquit, erunt qui vel haec rumpunt comitia generalia, Reipublicae nostrae interitus nullo modo poterit averti. Omnes quidem tum affligentur, vae autem illi homini per quem filius hominis tradetur. Est enim Deus vindex scelerum, qui, uti nullum bonum irremuneratum, ita et nullum malum impunitum abire permittit“²¹¹⁾. Sed ne hujus quidem viri intelligentissimi patriaeque amore plenissimi, vota quidquam adjuvare: quoniam haec quoque comitia soluta sunt minore dissentientium numero, et eodem quidem modo, quo comitia a. 1652, soluta sunt, si facta ipsa reputantur, Radziwillo ipso auctore²¹²⁾.

Sed jam satis exemplorum allatum esse puto: neque enim omnes illos 19 conventus generales, qui ante Sicińscium rupti sunt, considerare volebam, sed id tantum probare, historiae fide utenti ponere non licere, primum Libero Veto usum esse Sicińscium. Id quod nos, quantum fontibus, quorum copia nobis facta est, effici posset, nobis demonstrasse videmur. Erunt fortasse, quibus accedat nonnihil ex illis, quae duobus infra positus libris continentur, sed quorum usus (proh dolor!) nobis denegatus fuit:

1) Clarissimi baronis Joannis Ostrorog, J. U. Doctr. Monumentum pro comitiis generalibus regni sub rege Casimiro Jagellonide pro reipublicae ordinatione congestum“ — cum Polonica versione a. 1830; nullo loco in titulo nominato, sed verisimiliter Varsoviae typis descriptum;

2) (Stanislaus Łochowski), Comitiorum regni Poloniae generalium forma vis et effectus. Cracov. 1644.

²¹¹⁾ *Votum sbachlica polskiego. Pisane na seymiki y seymu*, p. 1606. i. e. *Votum nobilis Polonici pro comitiolis et comitiis conscriptum an. 1606. 12. pgg. non design. (Bibl. Kornicensis.)*

²¹²⁾ Stan. Łubieński, *Opera posth.* pg. 62. 63. cf. Piasecki *Chron.* p. 236.

Ex his, quae ex priore libro ap. Valerianum Krasiński²¹³⁾ et ap. Andr. Moraczewski²¹⁴⁾ excerpta leguntur²¹⁵⁾, si quid conicere licet, nostram qualencunque sententiam hoc libro refutatam esse ullo modo negarimus. — De altero libro nihil praeterea compertum habemus, nisi quod cum exstare ap. Felicem Bentkowski legimus²¹⁶⁾. At ubi in animum revocarimus quas paedagogicas rationes a. 1633 Joannes Innocentius Petricius Duci Ostrorog, principi nobilissimo suaserit²¹⁷⁾; — quomodo definiiri voluerint, quae res Libero Veto afficerentur, quae contra, quomodo eam rationem inire tentaverint, ut Libero Veto non omnia decreta irrita redderentur: quam utramque rem libellus a. 1641 editus postulat²¹⁸⁾; — ubi nobiscum reputarimus, quae res in comitiis generalibus aa. 1637, 1639, 1641, 1645 celebratis ab Albr. Stan. Radziwillo evenisse commemorentur²¹⁹⁾; ubi recordati eri-

²¹³⁾ Historical sketch of the rise and progress of the reformation in Poland. T. I. cap. I.

²¹⁴⁾ Dzieje Rzeczypospolitej polsk. Pozn. 1846. T. III.

²¹⁵⁾ Ossoliński, Com. III. (Wiadomości historyczno-krytyczne. Krak. 1819. T. I. pg. 503) hunc librum XXII^{mo} Actorum Tomicianorum volumine cum multis aliis contineri scribit.

²¹⁶⁾ Historia literatury polskiej. Warsz. Wilno. 1814. T. II. pg. 223.

²¹⁷⁾ Joannes Innoc. Petricius, Princeps Polonus seu institutio primarii et in excelsa familia editi juvenis in Republica Polona. Ad Ill. Vladislaum Dominicum, ducem in Ostrorog et Zasław. Cracov. 1633. pg. 79. 82. 83: „intercessionem unius maximum comitatum dirimere“.

²¹⁸⁾ Rozmowa Plebana ze Ziemianinem an. 1641. Discursus citatus et in epitomen redactus a Stan. Konarski l. c. Pars. I. pg. 62. §. VIII.

²¹⁹⁾ Pamiętniki Stan. Albr. Radziwiłła ed. Raczyński. T. I. (a. 1637) pg. 337 cf. ibid. pg. 346. 375. 376. — (A. 1639) pg. 428. 429. Coll. c. laud. MS^o Bibliothecae Kornicensis fol. 316. 317. cf. Konarski l. c. T. III. pg. 53. — (A. 1641) MS. laud. fol. 239. „Lithuani, quum jam sub direttore Lithuano bis rupta fuissent comitia, veriti ne saepius sic stantibus rebus Lithuani a praerogativa Polonis concessa ex-

mus illorum quibus Lucas Opaliński, jus publicum secutus, Bar-
clajam sententiam de Regia inter Polonos potestate prolatam
resistere studet²²⁰); vel illo Łochowscii libello ea confirmatum
iri speramus, quae hos, quos adhuc nominavimus, scriptores secuti
supra posuimus. Multum igitur abest, ut conventum generalem
an. 1652 solutum ea fuisse vi censeamus in efformandum Polo-
nicorum delegatorum systema, qua illum fuisse constanter huc-
usque censuerunt viri harum rerum curiosi.

cluderentur urgebant, ut tam diu Directoris officium maneret penes Li-
thuanum quoadusque finis ultimus et adaequatus imponeretur comitiis....
Conclusum tamen communi omnium voce, ut si subsequencia comitia
optatum non sortirentur finem in aliis ex ordine Lith. director foret de-
ligendus, sin secus felici terminarentur omine ipso facto irrita consti-
tutio declaranda.“ — (A. 1645) MS. laud. fol. 252. cf. Konarski l. c.
T. III. pg. 53. 54. Comitia haec „alto silentio nunciorum terrestrium“
irrita facta sunt.

²²⁰) (L. Opaliński) Polonia defensa contra Barclajum. Dant. 1648
pg. 66.: „Publica quod attinet: inprimis comitia obimus, non solum cum
suffragii jure, sed etiam cum intercedendi potestate. Magnus vero
iste magnarum mentium gloriae comparandae, caritatis erga Patriam te-
standae ac boni publici promovendi campus est. Hic enim leges conser-
vamus, hic omnia censemus, vetamus, intercedimus; hic egregia
moderatione inter venerationem Principis libertatisque patrociniū bono
patriae censulimus“.



